DE CONSTANTINO MAGNO *Primo* CHRISTIANORUM IMPERATORE DISSERTATIO

MULTIFARIIS QUÆSTIONIBUS COMPREHENSA.

AUCTORE

R. P. GEORGIO GENGELL
Societatis JESU Theologo.

Calissii, Typis Collegii Karnkoviani
Societatis JESU, *Annô* 1726.

Cum Approbatione, & Permissu Superiorum.

Magnum bonum confert inquiſitio Veritatis, quæ tunc deſideratô non fruſtratur effectu, ſi rectîs ad veri cognitionem lineîs, animus annitatur. S. Fulgentius Lib. 1mô. ad Traſamundũ Regem in Africa. Cap. 3tiô.

Pugnent Rationibûs, non Libellîs famosîs, non Nominis ſuperciliô, qui oppugnare noſtra cupiunt. Cardinalis Cajetanus Tomô 3. in Tractatu 15. Reſponſionum ad quosdam Articulos. Eminentiſſimus inquam Cajetanus, qui, ut videre eſt infra ſub Quæſtione XII. num: 66. favet etiam Probabilitati Sententiæ de Baptiſmo Conſtantiniano Nicomedienſi, de quo hìc potiſſimùm controvertitur.

Sententiam de Baptiſmo Conſtantini Magni propè Nicomediam, amplectuntur omnes Catholici, qui nunc, aliquâ Eruditionis laude clarent, in Italia, ac Germania, ac potiſſimùm in Gallia, Hiſtorico-critices ſtudioſiſſima. P. Daniel Papebrochius in Reſponſionum ſuarum Libro impreſſo Antuerpiæ, Annô 1696. in Reſponſione ad Articulum 2dum. Vide etiam in Quæſtione V. num: 23. & in Quæſtione XII. num: 73.

PERILLUSTRI
Et
REVERENDISSIMO
DOMINO,

D. JOANNI

De Gałczyno

GAŁCZYNSKI

Gnesnensi Archi-Cathedrali, & Łoviciensi, CANONICO, ARCHIDIACONO & OFFICIALI Calissiensi, PRÆPOSITO Białcensi.

In Calissiensi Societatis JESU Collegio, Sacræ Theologiæ Scholasticæ FUNDATORI.

DOMINO & MECÆNATI MUNIFICENTISSIMO.

PRima hoc sub Climate Lucubra-

tio mea, publicam, ſub Aviti ſideris Tui Patrocinio, prodiit in Lucem; *Perilluſtris Reverendiſſime DOMINE.* Ut inſignem ab URSA majore ſplendorem derivaret. Deinde Divorum Ambroſii, & Hieronymi de Magno Conſtantino parem Authoritatem, illud ſibi vendicat Nomen, quod Doctorum amicum eſt laureis, & Coronam ſapientum, gravium unione exornat rationum. Ut etiam & munificentiæ Tuæ, quam Tago divite in Caliſſienſis Collegii effundis commoda, exſolvamus debitum; illi, præter perennem magni Nominis æſtimationem eruditum refundimus ſudorem, ut docti fontes, ſecundô fluctu, GAŁCZYNIOS Nili oſtiis Liberaliores per Orbem vehant univerſum. Magneticam vim

Libe-

Liberalitati Tuæ, Prælatorum Reverendissime, inesse existima, quæ etiam ætatis ferreæ stylum ad se traxit; Gratiâ, æstimabili aurô, Authorem post septem supra quadraginta soles repetitô actu hoc in Polo subsistentem præveniendo. Sed desudabunt Librorum capita, quæ Tuá inaurasti munificentiâ, ut ipsius auri silentium sit vocale, & nummorum pretium, in Tui cedat æstimationem. Quia verò dicendorum de Te plenitudo exhaurit svadam, egestati verborum, cultu placuit subvenire, quem, toto Opusculi istius corpore, acclinem Tibi exhibeo. Consului optimè & modestiæ Tuæ, quæ, primis novit famulari titulis, in Libri exordio ante Imperatorem Constantinum Magnum Nomen Tuum collocan-

 do;

do; celeberrimum enim ingenuæ demiſſionis obſequium eſt, ante primas dignitates ſtare, & illas in lumas dignitates ſtare, & illas in lucem prodeuntes antecedere. Deinde Te Prælatorum Gemmam, Symmetriâ connaturali in Libri margine collocavi; pro Tuo Honore vel ex eo, hoc in opere facundus, ut etiam cum vivere deſinam, loqui Tuas non ceſſem gratias; quibus memoriam, & perennem gratitudinem polliceor.

Perilluſtri & Reverendiſſimo
Nomini Tuo

Devinctiſſimus
Georgius Gengell S. J.

PROLOGUS.

NOn ita pridem ſcripſi & impreſſi Lucubrationem, cui Titulus. *Scrutinium Unicæ Veritatis in Hiſtoria triplici.* Scilicet. 1. *De lapſu S. Papæ Marcellini.* 2. *De Dionyſio Pariſienſi.* Unuſne idemquè eſt cum S. Dionyſio Areopagita? 3. *De S. Gregorio Magno.* Precibuſne ille ſuis liberavit ex inferno animam Trajani Imperatoris? Propoſitîsque variîs Eruditiſſimorum Auctorum, pro, & in contra, Sententiîs, eorumquè Argumentîs: cenſui & probavi, ſi non eſſe probabiliorem, ſaltem multùm probabilem Sententiam, quæ tenet, indemnem ſemper fuiſſe S. Papam Marcellinum ab omni in Idololatriam lapſu. Item deduxi, eſſe multùm Probabilem Sententiam, quæ diſtinguit Dionyſium Pariſienſem ab Areopagita: nec S. Dionyſium Areopagitam dum in terris viveret, fuiſſe unquam in Gallia. Demum cenſui & probavi, Narrationem de Trajani ab inferis eliberatione

precibûs S. Gregorii, esse omnino erroneam.

Conscripseram & impresseram Lucubrationem illam, inter alia ex Motivis his. 1. Ut pateret falsitas earum Propositionum, quæ in libris variis, etiam ad hoc vastissimum & potentissimum Regnum Poloniarum delatis, continentur, asseruntur què esse omnino indubitatæ Veritatis. Scilicet. *1. Hæresim redolet, negare cum Raynaudo & Papebrochio Jesuitîs, S. Marcellini lapsum. 2. Qui S. Dionysium Areopagitam, negant fuisse Galliarum Apostolum, (ut facit Sirmondus & Paperbrochius Jesuitæ) illi sunt petulantes Galli, Susurrones, omnium penè Traditionum hostes: Apostolicæ Auctoritatis contemptores, atq; imitatores Hæreticorum.*

Deduxi sat clarè, prædictas Propositiones, non tantùm Papebrochio, aliisquè quibusdam è Nostra Societate Scriptoribus: Verùm etiam (quod incomparabiliter graviùs) multùm injuriosas esse, principaliter quidem S. Augustino, S. Sulpitio Severo, S. Gregorio Turonensi; deinde Innocentio III. Benedicto XIII. multis Eminentissimis Cardinalibus, plurimisquè aliis, ab omni Eruditione & Pietate, Orbi notissimis.

2dum Motivum erat. Quia magnum bonum

num confert inquisitio Veritatis; etiam in tam notabilibus Historiis. Et, si in illis non semper, quò ad omnia, haberi queat certitudo & evidentia Veritatis; saltem major Veri similitudo non delitescat.

Ex similibus ferè Motivis, præsentem conscripsi Dissertationem de Constantino Magno, præsertim de Ejus Baptismo; siquidem etiam per Europam volànt paginæ, circumferuntur libri, in quibus nonnulli scriptores, asserunt, & probare nituntur, esse indubitatè certam ac omnino evidentem Propositionem hanc. *Insignem injuriam Ecclesiæ Catholicæ intùlit Papebrochius, & quidam etiam alii Jesuitæ, eò, quòd negaverint, vel dubitaverint, Constantinum Magnum esse baptizatum Romæ à S. Silvestro*. Propositionem illam esse erroneam, demonstravit sufficienter ipsemet P. Daniel Papebrochius in Libro suo Responsionum (impresso Antuerpiæ, Annô 1696.) in Responsione ad Articulum 2dum. Demonstravit item P. Antonius Xaramilius Soc. JESU Theologiæ in Hispania Celebris Professor, & sancti Officii Qualificator, in sua pro Veritate, Apologia, impressa cum insigni Panegyrica approbatione Religiosissimi ac Doctissimi P. F. Raphâélis à S. Joanne Magistri Generalis

Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum. Idem præstitit luculenter P. Conradus Janningus, in sua Eruditissima Familiari Epistola de Baptismo Constantini. Janningus inquam, in Historiis antiquis, præsertim Ecclesiasticis, versatissimus, qui simul cum P. Papebrochio, & P. Francisco Bàertio continuaverat Acta Sanctorum, Tomîs pluribûs jam impressa, quæ Acta, (ut scribit ad Innocentium XII. Illustrissimus Archiepiscopus Sebastenus, Petrus Codde) *ubiq; terrarum ab Eruditis, Piisq; mirè celebrantur, & in magnam Ecclesiæ Militantis cedunt utilitatem.*

Quia tamen Ex una parte, difficillimè hìc haberi possunt prædictorum Auctorū Lucubrationes; nec ita conscriptæ sunt, ut nihil omnino de novo addi queat, ad earum Argumenti principalioris, quod continent, illustrationem, & Confirmationem. Ex altera verò parte, mihi certò constat, superiùs nominatam Propositionem, à pluribus in hoc Regno approbari: ideò à me præsens scripta est Dissertatio. Ex ea enim etiam, quàm longè à veritate deflectat illa Propositio, facilè prudens Lector intelliget, præcipuè ex Quæstione V. in qua exponitur, quidnam censuerint de Baptismo Constan-

tini,

tini, Sanctissimi Ecclesiæ Doctores, Hieronymus, Ambrosius, Athanasius: nec non plures, quàm trecenti Orthodoxi Episcopi, in Concilio Ariminensi congregati. Quid item Historici veteres, & scriptores Nobilissimi. Quid deniquè sæculô immediatè præteritô, nempe 16tô, Viri Catholici in Italia, Germania, Gallia, Eruditionis laude præstantes.

Porrò, ab his omnibus insignem injuriam illatam esse Ecclesiæ Orthodoxæ, an quis rectè asserere queat, decernat prudens Lector: ad cujus prudentiam, Ea etiam omnino observanda spectant, (& ut observentur, intensè desidero) quæ sub Quæstione X. num: 61. innui.

Illud insuper nunc innuendum duxi, Lucubrationem meam: Cui Titulus: *Scrutinium unicæ Veritatis, in Historia triplici:* nec non præsentem Dissertationem, priusquàm prælo typico subjicerentur, non tantùm in Polonia, verùm etiam Romæ, à Viris summæ Eruditionis, & limatissimi Judicii, esse revisas, & approbatas.

ELEN-

ELENCHUS QUÆSTIONUM

In Præsenti DISSERTATIONE.

V. Estne

V. Estne Sententia probabilis, quæ asserit Constantinum Magnum, modò primùm proximè antè obitum suum, fuisse baptizatum in suburbio Nicomediæ? pag. 19. & seq:

VI. Estne saltim probabilis Sententia, quæ asserit Constantinum Magnum, esse bis baptizatum? scilicet, semel Romæ à S. Silvestro; secundò, Nicomediæ, paulò ante mortem, ab Eusebio, vel aliquo alio? pag. 42. & seq:

VII. Quid tenendum de sententia asserente Constantinum esse baptizatum Constantinopolî, ab Eusebio Papa? pag. 43. & seq:

VIII. Quidnam respondendum ad Authoritatem Breviarii Romani, in quo asseritur, Constantinum esse baptizatū Romæ à S. Silvestro? pag. 45. & seq.

IX. Quid respondendum ad Authoritatem Martyrologii Romani? in quo legitur trigesimâ primâ Decembris. *Romæ, Natalis, S. Silvestri Papæ, qui Magnum Constantinum Imperatorem baptizavit.* pag. 53. & seq:

X. Quænam Sententia est probabilior? An illa quæ asserit, Romæ baptizatum Constantinum? An, quæ propè Nicomediam? pag. 55. & seq:

XI.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid censendum de Sententia asserente Constantinum Magnum Romæ esse baptizatum à S. Silvestro Romano Pontifice?

I.

P*Ræmitto.* Extra dubium & Controversiam est apud omnes Orthodoxos, Constantino M. collatum esse baptismum; sed tantummodo controvertitur inter eruditissimos Viros Catholicos. Quandonam? Ubi, & à quo collatus est? sicut non controvertitur inter eruditos; An in rerum Natura exstiterit Homerus: sed quænam ejus fuerit Patria: Nam, *Homerum* (inquit Cicero pro Archia) *Colophonii, Civem dicunt esse suum; Chii suum vendicant; Smirnæi verò suum esse affirmant.* Unaquæque harum Nationum, Homeri Patriam sibi vendicabat, denegabat alteri; nulla negabat Homerum exstitisse.

2. *Respondeo. Sententiam prædictam esse Probabilem. Probatur I.* Quia ex una parte, nihil omnimodè certum ac evidens affertur (Quid

 enim?)

enim?) quô improbabilis reddatur hæc sententia. Ex altera autem parte, Baptistam Constantini fuisse Romæ S. Silvestrum, asserunt Tum Summi Pontifices, Adrianus I. in Epistola sua, Constantino & Irenæ Augustis inscripta, & Nicolaus I. in literis suis ad Michaëlem Imperatorem. Tum Breviarium, & Martyrologium Romanum, ad diem 31. Decembris: nec non Monologium Græcorum, in quo Calend: Januarii habentur hæc: *Eodem die, S. Silvestri Pontificis, qui propter summum virtutis gradum, defunctô Melchiade, antiquioris Romæ creatus est Episcopus: hic multorum Patrator Miraculorum, Constantinum Magnum ad fidem convertit, cùm animæ & corporis morbos, Divino baptismate ab eo expulisset.* In Calendario item Maronitarum, quod Romæ in eodem Collegio habetur, die 7. Mensis *Tybi*, qui 8. Januarii respondet, refertur, S. Silvestrum fuisse Constantini M. baptistam. Idem sentit Venerabilis, & Sanctus Beda, Presbyter Anglus, qui floruit Anno 720. Sanctitate ac Eruditione (ut legitur in Martyrologio Romano, 27. Maji) Celeberrimus, Tomo 2. de sex Mundi ætatibus, ad Annum 4288. S. Thomas, Doctor Angelicus, 3. p. Q. 69. a. 8. S. Antonius Archiepisco-
pus

pus Florentinus (qui postea ob pusillitatem, dict9 est Antoninus) in sui Chronici 1ma parte, Tit: 8vo Cap: 2. §. 8. &c. Pro eadem sententia militant communissimè alii gravissimi Scriptores, non tantùm Latini (ut Anastasius Bibliothecarius & Abbas Romanus, qui floruit anno 850. scripsitque Vitas Pontificũ Romanorum, à S. Petro usque ad Nicolaum I. Hincmarus Episcopus Remensis, qui obiit Anno 882. Lipomanus, Episcopus Veronensis: Genebrardus, Archiepiscopus Aquensis, Surius &c. Eminentissimi Cardinales, Reginaldus Polus, Baronius, Bellarminus &c.) sed etiam Græci, ut Simeon Metaphrastes (qui floruit circa annum 850.) Theophanes Grabtus in Sacra Historia. Michàêl Glicas lib: 4. Histor: Nicephorus lib: 7. Histor: Eccl. Cap. 35. & lib. 8. cap. 54. qui floruit Anno Christi 1330,

3. *Probatur 2do.* Quia (ut argumentatur Theophanes cum quibusdam) si Constantinus Mag: non erat baptizatus ante Concilium Nicænum à S. Silvestro, sed modò primùm post plurimos annos, proximè ante obitum suum in Suburbiis Nicomediæ ab aliquo alio. Ergo nec fuit Divinorum Participator Mysteriorum, nisi propè ante mor-

tem ſuam. Hoc autem (ut ait Theophanes) nequiſsimum eſt dicere & ſentire.

4. *Allata Ratio hæc* eſt valida, præcipuè ſi explicatiùs, & quibusdam neceſſariò addendis, proponatur ſic. Conſtantinus in Britannia proclamatus eſt ab exercitu, Imperator Romanus, Anno Chriſti 306. Imperii autem ſui, anno 7mo (ut communiſsimè tenent Patroni primæ & ſecundæ Sententiæ) jamquè fuit tunc Catechumenus, propoſitum firmum habens, ſuſcipiendi Baptiſmi, opportuno tempore. Ergo ſi non eſt baptizatus Romæ à S. Silveſtro, ſed modò primùm proximè ante ſuum obitum, ſequitur eum durâſſe Catechumenum, annîs ferè 25. Obiit enim annô Chriſti 337. Imperii ſui Annô 32. ætatis ſuæ propè 63. vel ut vult Eutropius, 66. Proinde per tam longum ſpatium temporis, ſcilicet per annos ferè 25. non ſumpſit unquam (ut evidenter infertur) ſacram Euchariſtiam: nec unquam Sacramẽtaliter confeſſus, nec unquam toti Sacrificio Miſſæ interfuit. (vigebat enim tunc illa Eccleſiaſtica diſciplina, quâ Catechumeni prohibebantur à Sacrificio Miſſæ audiendo.) Id autem de Conſtantino primo Imperatore & tam zeloſo Propugnatore fidei, ſentire, videtur arduum & iniquum.

5. *Fa-*

5. *Fateor hæc Ratio sic proposita*, impelleret me validè ad sententiam de baptismo Romano ambabus manibus amplectendam, & repudiandam sententiam de Nicomediensi baptismo : nisi propè eadem restaret difficultas solvenda ipsi Theophani, Baronio, & aliis zelatoribus pro Romano baptismo. Juxta enim Card. Baronium & alios, dicitur Constantinus baptizatus à S. Silvestro, annô Christi 324. Imperii sui 19. Ergo ferè 13. annis fuit Catechumenus : & consequenter illo toto tempore, nunquam refectus cibô Angelicô, nec usus Sacramentali Confessione, nec interfuit Sacrificio Missæ. Si verò id concedere non erit iniquum, non erit etiam adeò arduum, fateri, annis ferè 25. sic eum permansisse : præsertim quòd bonus Imperator baptizari optabat in Jordane fluvio, in quo Servator ipse, ad exemplum nostrum, lavacrum suscepisse memoratur, verùm nova & nova emergentia impedimenta obstitêre.

QUÆSTIO II.

Estne prædicta de Romano Constantiniano baptismo Sententia, omninò certa, & indubitatæ Veritatis?

6 RE*spondeo Negativè: Ratio est.* Tum quia Probabile etiam est, Constantinum M. modò primùm proximè ante obitum suum, salutari lavacrô ablutum fuisse in Suburbiis Nicomediæ: Ut deductum sat fusè est sub Quæstione V. Tum quia (ut constabit ex Quæstione III. IV. V.) Argumenta, infundata Actis S. Silvestri, & cujusdam Concilii Romani; aut Edicto Constantiniano, vel auctoritati Breviarii & Martyrologii Romani, literisquè summorum Pontificum. Hæc omnia inquam Argumenta, quæ pro baptismo Romano afferri solent, sat probabiliter solvuntur. Tum quia etiam probabiliter respondetur ad Rationes à Card: Baronio & aliis allatas.

7. *Prima Ratio eorum est.* Si in Suburbiis Nicomediæ baptizatus est Constantinus, sequitur, eum baptizatum esse ab Eusebio Nicomediensi Episcopo, Antesignano Arianorum, quorum vis fuerat magna apud domesticos Imperatoris. Si ergo ab illo baptizatus: Consequentia deducitur illa necessaria. Constantinum in Arianorum perfidia, baptizatum esse: & proinde impium ex hac vita migrâsse, & ab Ecclesia penitus alienum; quod

quod tamen asserere, planè est erroneum. *Respondetur. Transeat.* Eusebium Nicomediensem fuisse baptistam Constantini; non tamen id contaminavisset baptizatum: quandoquidem tunc communicare cum Eusebio, non erat communicare cum Hæretico Ariano; nam ille occultabat, vivente Constantino, suam Hæresim: simulabat cum aliis suis complicibus, tenere se Fidem Nicænam, solùm svadebat *Omousiu* appellatione abstinere, ut pote quæ in Sacra Scriptura nusquã reperiatur. Dixi. *Transeat.* Negari enim absolutè, ac rectè potest, ob fundamenta sat gravia quæ habentur, infra sub Quæstione XI.

8. *Ratio secunda* Baronii est. Potuitne Constantinus tot parricidiîs cruentatus (innoxios enim plurimos interfecit, ut Conjugem suam Faustam, calore balnei; Crispum filium, frigore veneni: & plures alios familiares) sic inexpiatus, ad extremam usquè Senectutem, sponte perdurâsse; conscientiâ interea penitus consopitâ, ne dicam immortuâ? quando id quæso facturus? Jam agebat annum ætatis 63., jamquè parabat expeditionem in Persas, sæpequè antè, adversus hostes, certamen inierat: Hac ergo ex

parte, pietate, Constantio Filio longè impar Constantinus fuisset, ille enim adversus Magnentium pugnaturus, ne lixam quidem voluit, nisi antea baptizatum proficisci. *Item.* Et quonam quæso exemplô Majorum, nonnisi urgente morte suscepit baptismum? nam etsi posthac, penes nonnullos, ejusmodi de dilatione baptismi pravus usus invaluit; nullum antehac ea de re præcessisse reperitur simile factum.

Verùm si in optatis erat, in Jordane flumine baptizari; quando opportuniùs id facere potuisset, quàm annô ante obitum, cùm Jerosolymam (ut testatur ipse Eusebius in vita Constantini lib. 4. Cap. 43.) ex omnibus Orientis partibus, ab eo vocati ad Templi dedicationem, Episcopi convenêre? cum præsertim Tricennalia instarent Imperii: digna, quæ hujuscemodi solenniis præcipuè agerentur; cùm & imminens in Persas profectio, ad id eum impellere debuisset.

9. *Ad rationem secundam hanc Responderi solet.* Pecccata commissa eluebat Constantinus supernaturalibûs actibûs Contritionis & Amoris DEI, cum proposito suscipiendi baptismi; quem citiùs suscepisset, nisi méditatæ ad loca sacra per suam Matrem Sanctã

Hele-

Helenam exornata profectioni, nova ac nova impedimenta intervenissent. Susceptâ in Persidem expeditione Episcopos voluit habere in bello illo comites, ut eorum præsentiâ baptismus in Palæstina, in Jordane suscipiendus honestaretur, sed valentem robustumquè adhuc Virum prævenit mors, venenô (ut creditur) causatâ à Patruis.

Ratio 3tia ejusdem Cardinalis est. Nec non Nicephori qui floruit Anno 1330. Quônam modô potuit Constantinus interesse & sedem cum Episcopis in Sacrosancto Nicæno Concilio habuisse, si inter Catechumenos in Ecclesia tantummodò militabat? *Respondetur.* Utiquè ad Nicænum Concilium & Philosophi gentiles admissi? Cur ab eo excludi deberet Constantinus Catechumenus?

10. *4ta Ratio* afferri solet ex Romanæ Ecclesiæ antiquissima Traditione, cujus specimen (inquiunt) exhibet magna Tabula, ex Columna 2da à latere dextro Navîs Basilicæ Lateranensis pendens; in qua refertur, baptismum Constantini, Romæ fuisse, depulsâ à corpore baptizati leprâ. Ostenditur item baptismi Constantiniani Romæ facti, monumentum; scilicet, baptisterium, Constantinianæ Basilicæ S. Salvatoris, Palatioquè

Nominis ejuſdem conjunctum. *Reſpondetur*. Tabula illa, modò primùm circa annum 1600 ſcripta eſt: nam in illa leguntur hæc: *Ante annos mille, circa annum Chriſti Sexcenteſimum, S. Gregorius & ante iſtum, S. Silveſter, Indulgentiam plenariam, quocunq; tempore anni, omnibus ad Eccleſiam Lateranenſem venientibus, conceſsêre*. Cùm adeò recens ſit tabula fidem non videtur mereri in re antiquiſſima, ante annos mille trecentos geſta, de baptiſmo Conſtantini.

11. Baptiſterium illud Romæ, communiter appellatur Baptiſterium Conſtantini: quia illud conſtrui fecit Conſtantinus: ſicut ob eandem cauſam, Baſilica Lateranenſis, dicitur Conſtantiniana: Et ita aſſerunt plurimi, inter quos eſt omnigena eruditione, ac pietate inſignis Eminentiſſimus Cardinalis Joannes Bona.

Accedit. Quòd (ut refert S. Antoninus & paſſim alii) Conſtantinus in piſcina baptizatus eſt. Lavacrum item Conſtantinianũ, ab Ammiano lib. 27. memoratum; poteſt accipi, de publicis balneis, à Conſtantino, Romæ exſtructis, inquit P. Raynaudus Tom: 12. in lib. cui titulus: *Hoplotheca*. Sect. 2. Serie 2. cap. 5. licèt hic inſignis Theologus fuerit ardens propugnator Romani baptiſmi.

12. *NOTA Primò.* Cardinalis Baronius Vir toto Orbe celeberrimus, ad annum Christi 324., Constantini 19. dicit: „Ex ipso Eusebio, Constantinus convincitur baptizatus longè ante suum obitum.” allegatquè ad id evincendum ex Lib: 4 Vitæ Constantini ab Eusebio conscriptæ Caput 22. & 57. *Respondet P. Papebrochius* Tomo 5to Maji in Vita S. Constantini Magni, 21. Maji. „Expendi (inquit) accuratè Capita quæ allegantur omnia, & ex omnibus, aliud nihil potui conficere, quàm quòd Pius Imperator, qui militibus nondum initiatis, formam comprecationis communis præscripserat, ad quam diebûs Dominicîs convenire deberent in patentes suburbiorum campos; idem in suo Palatio (ut legitur apud Eusebium lib: 4to Cap: 17.) instruxerat formam aliquam Ecclesiæ DEI; ubi omnibus secum congregatis, diligentiâ & alacritate præibat; & sumptîs in manu librîs, Sacrorũ Verborum considerationi applicabat animum. Deinde solennes persolvebat preces cum ijs, qui Regiam Domum implebant. Ibi (ut dicitur cap: 22.) statîs quotidie temporibûs solus cum solo DEO agebat, velut aliquis qui Divinorum Myste-

sterio-

" steriorum reverâ particeps foret. Ibi er-
" go celebritatem Paschæ agebat, eô quo se-
" quenti Capite narratur modô. Nusquam
" autem est invenire verbum, quo ad Sacros
" Ecclesiarum Conventus (quamvis etiam
" hi, excepto sacrificii tempore, non ini-
" tiatos admittebant) ingessisse se intelligatur.
Hucusquè Papebrochius.

Fateor candidè, legi & ego accuratè illa omnia integra capita ex Eusebio allata à Cardinale Baronio, & ita inveni, ut scribit P. Papebrochius.

NOTA Secundò. Dalmatianus, Episcopus Cyzicenus, qui collegit Acta nonnulla Concilii Nicæni, Lib: 2do Act: Nicæn: Concilii: mentionem facit Orationis Constantinianæ, ad Patres illius Concilii; sed in ea Oratione habita ad Synodum, non dicit plùs Constantinus, quàm se Christianam tenere, & prædicare fidem, cui omnem suam felicitatem referat acceptam, & cujus stabiliendæ causâ, isthinc pariter cum iis convenit, propter quod etiam Christianus passim credebatur, & dicebatur: sicut reverà erat, firmum propositum habens suscipiendi tempore opportuno Baptismi.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Ex Actis S. Silvestri (in quibus sat fusè describitur, qualiter Constantinus à S. Silvestro, lavacrô salutari sit recreatus) *omninone certò deducitur infallibilitas baptismi illius?*

13. R*Espondetur Negativè. Ratio*, præter alias, est & hæc. Quia *Acta illa prout hodie exstant* (loquor verbis ipsiusmet Cardinalis Baronii Tomo 3. ad Annum 315.) *non in omnibus vera sunt, nimirum deturpata compluribûs mendaciîs.* Dicit quidem Card: Baronius. Mendacia illa aliunde irrepsisse. *Sed Contra est.* Tum quia in omnibus antiquissimis Exemplaribus manuscriptis, habentur omnia eadem mendacia, ut notat P. Papebrochius. Tum quia pro tali assertione probanda, necesse erat unum aliquod saltem exhibere Exemplar certum atquè indubitatum, quô verum discernatur à falso. Tale autem Exemplar ubi est? quis unquam, illud exhibuit? Meritò quærit P. Xaramilius in sua Apologia pro Veritate Cap: 16.

14. Porro Philippus Labbeus enumerat mendacia illa, Tomo 1. Conciliorum folio 1491.

imò enim

imò enim Quia Acta illa Silvestrina, dicunt Constantinum priùs fuisse Catholicum, quàm fuerit sua Mater Helena. Quod falsum est; quia curavit illa Constantinum Filium suum à teneris Annis educare in omni pietate. *2dò* In iisdem Actis habetur, Helenam, Anno 315., fuisse in Oriente cum Constantio & Constante jam Imperatoribus; quod Baronius ad eundem Annum, num: 13. vocat *deforme mendacium*: Quia Constantius declaratus fuit Cæsar, decem post annis, & Constans, viginti. 3tio: Ibidem legitur, quòd Isachar, aut (ut alii volunt) Isaac fuerit tunc summus Judææ Pontifex; Cùm tamen post destructionem Jerosolymæ, tempore Titi, nullus deinde fuit creatus Pontifex: ut fusè & eruditè probat S. Epiphanius, hæresi 30. 4tò. Dicitur, quòd illorum Actorum, fuerit Auctor Eusebius; cùm tamen Gelasius I. Papa, expressè in decreto suo dicat, Auctorem ignorari. 5tò. Habetur ibi, quòd S. Silvester, jejunium Sabbati abrogaverit. Ad hoc Baronius (locô suprà citatô Num: 15. exclamat: *Quid enim hôc, mendacius effingi potest?* Ratione observantiæ, quam hac in parte summi Pontifices contra Græcos semper tenuêre. 6tò. Quòd S. Silvester instituerit,

ut ima hebdomadæ dies vocaretur *Dominica.* Cùm certum sit, Nomen illud in usu fuisse etiam tempore Apostolorum; ideoquè Baronius Num: 16. illam institutionem, vocat, *portentosum mendacium.* 7mò, falsum, præter alia, est: quòd S. Silvester à Melchiade fuerit ordinatus.

15. *Neq; dicas.* Utiquè S. Gelasius I. Papa, Anno 494. in Concilio 2dò Romano, cum 70. Episcopis, Acta illa S. Silvestri *suscepit cum omni honore? Respondetur* enim Negando id. In illo enim decreto, verba hæc. *Cum omni honore suscipimus* extenduntur solùm, *ad Vitas Sanctorum Patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis, & omnium Eremitarum: quas tamen Vir Beatissimus scripsit Hieronymus.* Non verò extenduntur ad Acta Beati Silvestri. Eatenùs autem probantur illic à Gelasio prædicta Acta S. Silvestri, quatenùs ipsa, ut multæ aliæ scripturæ, ibidem expressæ, suscipi non prohibentur: quia nempe nihil contra fidem Catholicam continebant, ac utiliter legi ad multorum ædificationem potuerant, utì nunc etiam leguntur tàm ipsa, quàm alia Sanctorum Acta tametsi non in omnibus probata. *Accedit.* Quia ut S. Antoninus habet in sui Chronici parte 2da, titulô 9no Cap: 1. §. 1mo.

Solùm

Solùm Gelasius Papa, de Sancti Silvestri Actis sic ait Dist: 15. *Acta Beati Silvestri, Apostolicæ Sedis Præsulis, licèt ejus, qui scripserit, Nomen ignoremus; à multis tamen in Urbe Roma Catholicis, legi cognovimus, & pro Antiquo usu multæ hoc imitantur Ecclesiæ.*

16. *Accedit*, quòd Actis illis Silvestrinis, non fidant plurimi, Eruditissimi, Prudentissimi, Catholicissimi; è quorum Numero, aliquorum recensita Nomina Vide sub Quæstione V. & Quæst: XII.

QUÆSTIO IV.

Evinciturne certitudo prædictæ Sententiæ ex Concilio còácto Romæ à S. Silvestro?

17 P*Ræmitto.* Pro certitudine Romani baptismi, adduci solet Concilium sub S. Silvestro, Anno Christi 324. Romæ còáctum, cui interfuisse dicuntur Episcopi 284, ipseque Constantinus & Helena & Calfurnius, Urbis Præfectus, homo Christianus; Conciliique hujus recenseri solent viginti Canones, ad quorum initium de baptismo Constantini dicuntur haberi hæc. *Eodem tempore cùm multi Nobiles gauderent, quòd Constantinus baptizatus à Silvestro Episcopo Urbis*

Urbis Romæ, & mundatus fuisset à lepra, pro hoc beneficio, quod accepit à Domino nostro JESU Christo per Silvestrum, cæpit integrè prædicare Dominum Nostrum JESUM Christum, & confiteri ejus beneficia. Silvester ergo Episcopus Urbis Romæ, congregavit fratres Conpresbyteros, Coëpiscopos & Diaconos suos & Cives Romanos, &c.

Hoc præmisso.

18. *Respondetur ad Quæstionem 4tam, Negativè. Ratio est.* Quia Canones illi 20, initiò loquentes de baptiſmo Conſtantini Romano, exſtant etiam apud Philippum Labbeum Tomo I. Conciliorum, fol. 1545. verùm ibidem exſtat quoque ab eodem eruditiſſimo Labbeo in Margine Notatum: quòd illi Canones, Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi, ſæculô 9no, florenti, & plerisquè eruditis videantur ſuppoſiti: Utì & ipſi Labbeo, necnon Chriſtiano Lupo, ex ſacro Ordine Divi Auguſtini, in Notitia Conciliorum Verſatiſſimo, & Antonio Pagio, ex Seraphico Ordine S. Franciſci, eximio temporum Chronologo, aliisquè plerisquè Viris iſtarum rerum peritiſſimis, ac ex profeſſo talia tractantibus.

19. Reverendissimus etiam Emmanuel Schelstratius, Canonicus primùm Lateranensis, & mox Vaticanus, Bibliothecæ Romanæ Præfectus & Custos, summæ Vir Eruditionis ac prudentiæ, in sua Dissertatione doctissima de hoc Concilio p. 484. Antiquitatis illustratæ, Anno 1678. impressa, licèt propugnet Romanum baptismum, tamen ibidem sic concludit. [Quia non solùm Dio-
" nysius (qui Romæ Justiniano Imperante,
" Codicem Canonum confecit) Canones
" hos omisit; sed etiam hoc Concilium; Tum
" ex dictis per totam Dissertationem. Tum
" ex falsa Consulum citatione; Tum ex He-
" lenæ subscriptione, contra omnium Sæ-
" culorum praxim, quæ Mulieres ab Epi-
" scoporum Conciliis & multò magìs ab eo-
" rũ subscriptionibus excludit: Tum demum
" ex numerosissimo & Græcorum Episco-
" porum Catalogo (cùm tamen ipsemet
" Baronius ad annum Christi 324. solos ad-
" fuisse Italiæ Episcopos sentiat) aliisque de
" causis, suppositionis arguitur. Ideo faci-
" lè assentior Viris plerisquè eruditis, bre-
" vem Epilogum & Canones Viginti, de
" hoc Concilio (ut fertur) restantes, esse
" suppositos.]

20. NO-

20 *N O T A. Si quæratur. Quidnam censendum est de quodam Constantini Magni Edicto, in quo asseritur ejus Baptismus fuisse Romæ. Quid nam sit respondendum ad Quæsitum, ex his collige.* Ipsemet Cardinalis Baronius ad Annum 324. numerô 118. fatetur illud edictum esse depravatum; idquè sat clarè deducit. Et ad Annum 1191. num: 60. dicit: *Apparet, ad Gregorium VII., & Alexandrum III., frixisse ejusdem edicti Auctoritatem, à cujus citatione abstinuisse putârunt.* Vide de hac re plura apud S. Antoninũ prima parte sui Chronici Titulo 8vo. Cap. 1. §. 8. Et apud Schelstratium in sua Antiquitate illustrata, Dissertatione 3tia. Cap. 7mo: & apud Nostrum P. Cantelium in Lib: de Historia Metropolitanarum Urbium, paginâ 192.

QUÆSTIO V.

Estne Sententia probabilis, quæ asserit Constantinum Magnum, modò primùm proximè ante Obitùm suum, fuisse baptizatùm in suburbio Nicomediæ?

21. R*Espondeo. Prædictam Sententiam esse probabilem. Ratio est.* Quia Constantinum sub finem vitæ, Sacrô lavacrô

tinctum fuiſſe, aſſerunt hi. *1mò.* Duo præcipui Latini Sancti Doctores Eccleſiæ, Hieronymus & Ambroſius, qui proximè poſt Conſtantinum floruerunt, diuquè Romæ habitaverunt, & contrarium, ſi verum erat, millies audîſſe debuerunt. Et quidem S. Hieronymus, ſub Conſtantio Imperatore, Magni Conſtantini Filio natus eſt, & Romæ adoleſcens baptizatus. S. verò Ambroſius, natus Annô Chriſti 333. Imperante adhuc ipſomet Magnô Conſtantinô. *2do.* Præter Euſebium teſtantur idem, Hiſtorici Græci primarij, qui in Oriente floruerunt, circa Annum 435. ut Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & plerique alii veteres Scriptores. Vide infra à num. 29. *Confirmatur imò Reſponſio Noſtra* Quia ſententia hæc videtur conformis ſenſui plurium, quàm trecentorum Epiſcoporum in Concilio Ariminenſi congregatorum, nec non ſenſui Sancti Athanaſii. Vide infra num: 38. & 39.

22. *Confirmatur 2dò.* Quia hanc Sententiam de baptiſmo Nicomedienſi approbant, Æneas Silvius (poſtea ſummus Pontifex, dictus Pius II.) in Dialogis, bienniô, ante ſuum Pontificatum editis; & Cardinales Eminentiſſimi, ut Cuſanus lib: 3tio Concor-

dantiæ Catholicæ Cap: 2. & Jacobus Perronius, qui Henricum 4tum, Ecclesiæ Catholicæ restituit, fuitque eximius Defensor Orthodoxæ fidei in Galliis: Hæreticorum verò malleus & flagellum. (Hunc, cùm Clemens VIII. consecravit Ebroicensem Episcopum, Pontificalem annulum, suô detractum digitô, in illius digitum immisit, & postea, 2da Junij, Annô 1604. creavit S. R. E. Presbyterum Cardinalem) Item eruditissimi scriptores, ut Dionysius Petavius, Andreas Valesius, Lambetius, Pagius, &c.

23. Imò Pater Daniel Papebrochius, (cui, Innocentius XII. dedit hoc Elogium. *Pater Papebrochius est Vir Magnus & doctus*) in Responsionum suarum Libro impresso Antverpiæ, Anno 1696. in Responsione ad Articulum 2dum, mihi pag: 30. dicit. NB. *Hanc sententiam de Baptismo Constantini Magni prope Nicomediam, amplectuntur omnes Catholici, qui nunc aliquâ eruditionis laude clarent in Italia, ac Germania, ac potissimùm in Gallia, Historico Critices studiosissima. Idem ibidem post me typîs vulgârunt eruditissimi duo, Cangius, & Pagius: hic in sua ad Annales Baronij Critica, Anno 1689. ad Annum 315. num: 5tô & Anni 324. num: 4tô: Ille in Notis ad Zonaram, Anno 1687.*

 illu-

illustratum, *pag.* 28. *num:* 2*dô.* *Romæ verò*, *ubi vulgo parum ingrata accidit Opinio ista*; *eruditioribus tamen Cardinalibus*, *Prælatisq;* *exhibita P. Conradi Janningi Epistola familiaris*, *sic placuit*, *ut is*, *cujus Judicium in talibus nunc præcipuè auditur*, *nostro Isthic Pænitentiario dixerit: Utcunq; antea hæsitaverit: Jam non ampliùs dubitare se posse*, *quòd Constantinus Magnus*, *nonnisi semel*, & *quidem Nicomediæ*, *aut prope eam fuerit baptizatus.* Hucusquè Pater Papebrochius. Porrò prædicta Epistola Patris Janningi S. J. impressa est iterum, & continetur in Actis Sanctorum ad Initium Tomi 1mi, Mensis Junij, qui Tomus impressus est Antverpiæ Anno 1695. Ut verò magìs probabilitas magna dictæ sententiæ appareat: & faciliùs percipiatur, formo *Argumenta Quatuor.* *In* 1*mo Argùmento*, pro illa sententia, adducuntur Testimonia S. Hieronymi & S. Ambrosii. *In* 2*do*: Testimonia Veterum Historicorum gravium. *In* 3*tio*: Testimonia Patrum totius Concilij Ariminensis, & S. Athanasij, cum solutione Objectionum contra hæc Testimonia. Argumentum demum 4tum est còálitum ex Variis Rationibus.

ARGUMENTUM 1mum.

24. SAnctus Hieronymus, quem Ecclesia tota Orthodoxa veneratur, & inter suos quatuor summos Doctores numerat (obiit ille, Annô Christi 422. ætatis suæ, Annô 91. ut vult S. Prosper: vel Annô Domini 420., ætatis suæ 78. ut censet Cardinalis Baronius) Hic ergo Magnus & Sanctus Doctor, in suo Chronico dicit: *Constantinus extremo vitæ suæ tempore, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus.*

25. Divus Ambrosius, Episcopus Mediolanensis qui post Constantinum, Annô ferè sexagesimô mortuus, scilicet Annô 397. in Oratione sua dè obitu Theodosii quæ exstat in ejus Operum Tomo tertio, ait: *Nunc sibi Rex est Augustæ memoriæ Theodosius, quando in Regno Domini JESU Christi est; quando recipit filium Gratianum -- quando adhæret Constantino, cui licèt baptismatis Gratia* (NB.) *in ultimis constituto, omnia peccata dimiserit, tamen quòd primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem Fidei, Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.*

26. *Neq; dicas.* Deceptum esse Hieronymum viciniâ Nominis & falso rumore; sibi

ſibi enim in terræ angulo poſito, ut ipſemet loquitur, multa ignota eſſe potuiſſe fatetur. Libro de Viris illuſtribus. Itaquè quod de Conſtantio filio dicebatur, id Hieronymus traduxit ad Patrem.

Vel etiam ab aliquo alio, textum illum eſſe appoſitum ad ejus Chronicon. S. verò Ambroſium alluſiſſe ad lepram, quâ Romæ laboravit Conſtantinus, ratione cujus, omni Medicorum arte fruſtrata, *in ultimis conſtitutus* credebatur.

27. *Contra enim eſt.* Etſi S. Hieronymus, tunc dum poſitus eſſet in terræ angulo, id eſt in Syriæ Solitudine, vel poſtea in Palæſtina (Bethlehemi diu hærendo, ibidemquè teſte S. Severo & alijs, agendo Parochum, ac deniquè mortem ibidem obeundo) multa ignota eſſe potuerint, quæ eo tempore agebantur alibi in locis diſſitiſſimis à ſe. Sed nunquid eidem pluribus annîs commoranti in Italia, & Romæ quidem toto triennio (operâ ejus tunc utente S. Damaſo Papa in conſcribendis Epiſtolis, ad diverſas conſultationes ex diverſis Eccleſiarum Conciliis, ad ipſum, Romam perlatas: ut ipſe S. Hieronymus teſtatur in Epiſtola ſua ad Gazantiam de Monogamia) ignotus poterat baptiſmus

ptismus Constantini, si Romæ collatus fuisset? ignotus inquam S. Hieronymo, qui summorum Theologorum consvetudine floruit, ut legitur in Breviario; de quo Divus Augustinus Lib. 1mo in Julianum Cap. 7. scribit. *S. Hieronymus Græcô & Latinô insuper & Hebræô eruditus eloqüiô: omnes vel planè omnes, qui ante illum ex utraq; parte Orbis de doctrina Ecclesiastica scripserunt, legerat.* De quo etiam Cassianus, libro 7mo de Incar: cap: 26. ait: *Hieronymus, Catholicorum Magister, cujus scripta per Universum Mundum, quasi divinæ lampades rutilant.* Quem S. Prosper Cap. 7, vocat *Morum Exemplum, Mundiq; Magistrum.* Merè etiam arbitrariè, & sine ullo prorsùs fundamento dicitur: Verba illa: *Ab Eusebio Nicomediensi baptizatus:* apposita esse ab aliquo alio. Proinde manet Chronici testimonium inconcussum, & Auctoritate Divi Hieronymi fultum: ut rectè infert Schelstratius Responsione 2da, Dissert: 3. Cap. 6. in Antiquitate illustrata. Liber hic primam lucem vidit Annô 1678.

28. *Responsio itidem* ad textum adductum S. Ambrosij, non subsistit (præterquam enim, quòd S. Doctor in omnibus Libris suis qui sat grandibus quinquè Tomis comprehen-

duntur, nullam uspiam mentionem faciat lepræ Constantinianæ.) Quia si ita libet explicare Auctores, eorumquè Verba, ut *in ultimis constitutum esse*: sit leprâ laborare: sequitur (ut benè notat cum quibusdam P. Janningus) leprosos omnes, posse ab omnibus censuris Ecclesiasticis, & peccatis quantumvis gravissimis etiam summo Pontifici reservatis, tanquam in ultimis constitutos, posse inquam à quocunque Sacerdote Sacramentaliter absolvi. Quod si dicatur cum Cardinali Baronio ad annum 324. num. 50. *Rogatâ à Sancto Ambrosio veniâ, sit dictum, Eum hìc errâsse*. Fortè reponeretur. *Rogatâ ab Eminentissimo veniâ, sit dictum, eum potius in attribuendo errore Sancto Doctori tanto, errâsse*. Tanto inquam Doctori, utpote quem S. Augustinus, Epistolâ 55. ad Eum data, vocat. *Hominem DEI Sapientiâ sublimem, generis claritate, Vitæ splendore, orandi facultate illustrem*. De quo idem S. Augustinus Lib: 1. contra Julianum, Cap: 3tio, ait: *Audi Beatum Ambrosium, quem veneror, ut Patrem; cujus pro Catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, sive operibus, sive sermonibus, & ipse sum expertus, & mecum non dubitat Orbis prædicare Romanus*. Quem Theodoretus

Lib: 4to

Lib: 4to Histor: Eccles: Cap. 6. & 30. & Lib: 5. Cap: 14. appellat *Vocalissimum Veritatis Præconem.* S. verò Beda Lib: de sex ætatibus, agendo de Gratiano Imperatore ait: *S. Ambrosius, Catholicæ Fidei Arx est Eminentissima.* Nec item certum est, leprâ Constantinum laborâsse. Vide dicta sub Quæstione XII.

ARGUMENTUM 2dum.

29. SOcrates Scholasticus Constantinopolitanus, qui Historiæ Ecclesiasticæ, scripsit libros 7. is libro 1mo, Cap. 39. habet hæc: *Imperator Constantinus Sexagesimum quintum ætatis suæ Annum ingressus, in morbum incidit, ac Constantinopolî discedens, Helenopolim trajicit, balneîs aquarum naturâ calidarum, quæ ibi sunt in proximo, usurus. Ubi verò morbô graviùs afflictabatur, lavationem balneorum distulit; Helenopolî autem abscedens, Nicomediam rectâ proficiscitur; ibi in Suburbio commoratus (NB.) lavacrô baptismatis, quod est Christianorum proprium, tingitur, quô vehementer exhilaratus, testamentum facit -- Testamentô compositô, & vitâ ad aliquot dies propagatâ, mortem oppetit.*

30. Hermias Sozomenus Salaminius, Theodosio Juniori Imperatori, Historiæ

libros

libros suos novem dedicavit & lib: 2do Cap. 34. dicit. *Imperator Constantinus, quoniam corpore ægro jam & languenti fuit, ideo Helenopolim advenit, balneis suâ naturâ calidis, usurus: ac cùm morbô vehementiùs urgeretur; Nicomediam deportatus est: ibi autem, cùm in suburbiis commoraretur,* (*NB.*) *Sacrosanctô baptismatis Mysteriô initiatus est. Quare magnopere delectatus, gratias egit DEO, factôquè testamentô, Imperium Filiis dispertivit -- Circiter quintum & sexagesimum ætatis suæ annum agens, moritur.*

31. Theodoretus, Natione Syrus, Episcopus Cyri, Ciuitatis in Syria, qui etiam interfuit Concilio Chalcedonensi, conscriptosquè suos libros 5. Historiæ Ecclesiasticæ à Constantino usquè ad Theodosium juniorem Imperatorem, eidem dedicavit, floruit Anno 430. Hic igitur Theodoretus eruditissimus, lib: 1mo Cap: 31. habet hæc: *Constantinus Imperator cùm esset Nicomediæ, graviter ægrotare cæpit: cumq; secum considerâsset, quàm incertus sit humanæ vitæ exitus, donum* (*NB.*) *Sacrosancti baptismatis accepit: ad hoc nempe tempus, istud ideo distulerat, quòd magnô tenebatur desideriô, hoc salutare lavacrum, in Jordane Fluvio percipiendi. Tres Filios*

lios Imperii reliquit hæredes: Constantinum, Constantium, & Constantem natu omnium minimū. Restituit autem Alexandriæ, decretô suô Athanasium quamvis adesset Eusebius(Nicomediensis) *& summîs viribûs dissuaderet.*

32. Eusebius, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, natus annô Christi circiter 264. obiit ferè Anno Christi 340: gestorum Constantini scientissimus, & Ei sat familiaris, edidit teste S. Hieronymo (lib: de Script: Eccl: Capite 81.) infinita Volumina, inter alia, & Vitam Constantini, 4tuor libris comprehensam. Librô ergo 4to Cap. 61. & sequentibus, accuratè describens Ejus morbum, iter, baptismi desiderium, baptismum ipsum, testamentum, obitum: de baptismo scribit ita. *Ad suburbana Nicomediæ digressus, convocatîs Episcopîs, sic ad eos verba facit. Hoc erat tempus, quod jam dudum sperabam, cùm incredibili cupiditate arderem, votisq;, omnibus desiderarem salutem in DEO consequi; jam tempus est, ut signum illud, quod immortalitatem confert, nos quoq; percipiamus: Tempus est, ut salutaris signaculi, participes fiamus. Equidem olim statueram id agere in flumine Jordane, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum, lavacrum suscepisse memoratur. Sed DEUS, qui*

opti-

optimè novit ea, quæ nobis utilia sunt: Hoc in loco, hoc ipsum nobis exhibere dignatur: proinde omnis removeatur dubitatio; nam siquidem DEUS, vitæ mortisq; Arbiter, hìc me diutiùs vitam agere voluerit, idq; semel decretum est, ut in posterum, unà cum populo DEI, permiscear, & in Ecclesiam adscitus, cum reliquis omnibus, orationum particeps fiam; eas vivendi leges mihi præscripturum me esse, spondeo, quæ sint DEO dignæ: Hæc cùm dixisset, illi, solenni ritù Divinas cæremonias peregerunt, injunctisq; Ei, quæcunq; necessaria erant, Sacrorum Mysteriorum participem fecerunt. Solus igitur ex omnibus, qui unquam fuerunt Imperatoribus, Constantinus, in Christi Martyriis renatus, & consummatus est, & Divinô donatus signaculô, exultavit Spiritu, renovatusq; est, ac Divina luce repletus. Et animô quidem maximam capiebat voluptatem ob Fidei excellentiam, evidentissimam autem Divinæ potentiæ magnitudinem attonitus mirabatur: postquam omnia ritè completa sunt, candidîs ac Regiîs vestibûs, lucis instar radiantibûs, est amictus, & candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere ampliùs voluit. Post hæc, sublata altiùs voce, precabundus gratias egit DEO, & finita precatione, hæc subiecit. Nunc me reverà beatum esse, nunc immortali vitâ di-

gnum,

gnum, nùnc Divinæ compotem lucis factùm esse, cognosco. Miseros quoq; & infelices ajebat esse, qui tantîs bonîs privarentur. Hucusquè Eusebius, qui Historiam hanc scribens sub Constantio Constantini Filio & Successore, non potuit non scire, quid Patri ejus factum fuerit, præsertim in re tanti momenti, & tam solenniter acta: Nec præsumi potest, ausus fuisse mentiri, à toto Mundo mox redarguendus.

33. Et licèt ei S. Hieronymus ob Arianismum, & defensionem Origenis, fuerit plurimùm offensus; fidem tamen ejus historicam, aliasquè dotes Historicum commendantes, laudat Epist: 65tâ ad Pammachium & Oceanum his verbis. *Ecclesiasticam pulchrè* (adeoquè fideliter) *Eusebius Historiam texuit, licèt impietatis Arii apertissimus propugnator sit.* Item. *Quis inveniri posset eô prudentior, doctior, eloquentior?* Et Gelasius secundus, Romanus Pontifex Epist: 3tia ad Episcopos Istriæ quærit. *Quid in Historiographis inveniri, Eusebiô honorabilius possit?* Gelasius Cyzicenus lib. 2do Cap: 1mo ait: *Eusebius est veri studiosissimus* (quæ Historici laus præcipua est) *& inter veteres Ecclesiasticæ Historiæ scriptores fide dignissimus.*

Comm. Probatus Cracovien. 34. Ei-
[illegible]

34. Eidem noſtræ Reſponſioni datæ & Sententiæ, adſtipulantur Gelaſius Cyzicenus, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, Actorum in Concilio Nicæno Collector; item Faſti Eccleſiæ Alexandrinæ. Vide infra in Quæſtione XI. Libellus etiam Synodicus ante annos 700. editus apud Philippum Labbeum, Tomô 2dô Concil: Col: 88. habet hæc: *Conſtantinus Nicomediam veniens, cùm in ægritudinem incidiſſet, baptizatus eſt.* Cuſpinianus item in vita Conſtantini ait. *Lavacrum Baptiſmatis in extremum vitæ tempus diſtulit Conſtantinus.* Non abſimilia habet Caſſiodorus, Pomponius, Lætus aliiquè Scriptores. Quare meritò Petavius, in Hiſtoriis præſertim Eccleſiaſticis verſatiſſimus, in ſuo Rationario temporum, lib. 6. Cap. 1. ad Annum 337. ſic habet. *Ipſo Pentecoſtes die moritur Conſtantinus in ſuburbio Nicomediæ, ubi paulò ante mortem baptizatum eſſe, pleriq; Veterum affirmant.* Non abſimilia habet in Volumine ſuo, de doctrina temporum, Tomô 2dô. lib. 1mô. Cap. 45.

Neq; dicas, Euſebius mentitus eſt: volendo enim placere, Arianus ipſe, Conſtantio Imperatori Ariano, nec non Euſebio Nicomedienſi, Arianorum Signifero, & Sequaci-

bus ejus, ſcripſit impudenter, propè Nicomediam Conſtantinum baptizatum. Hæreticus acerrimus fuit, non ei credendum.

Hiſtorici etiam, ut Socrates, Sozomenus, Theodoretus, & alii, inconſultè ſunt ſecuti Euſebium.

36. *Contra enim eſt.* Præterquam enim, quòd Viri graviſſimi fidem ejus Hiſtoricam multùm deprædicent, ut oſtenſum hìc ſupra num. 33. Negent itemplerique eum in Ariana Hæreſi mortuum: imò Gallicana Eccleſia, ejuſquè Martyrologia antiquiſſima, illum inter Sanctos repoſuerunt, colueruntquè ut Sanctum à Sæculo nono, ejuſquè cultus nondum plenè deſierat Anno 1587. præter inquā hæc. Quomodo potuit in re geſta, coram tanta Curialium multitudine, non unius horæ momento, ſed plurium dierum, vel etiam hebdomadarum decurſu, voluiſſe mentiri? An nullus (ut rectè arguit P. Papebrochius) in toto numero Aulicorum, Magnatum & Epiſcoporum, Conſtantini moventis in Perſas Caſtra Sequentium, fuit ſincerè Orthodoxus, qui turpiſſimum mendacium palàm faceret? Nec videtur ratio (inquit etiam P. Philippus Brietius S. J. in ſuo Chronico Univerſali, ab Orbe condito ad Annum Chriſti

1692. Tomo 2do. Parte 1ma. Lib: 4. Cap. 4. Decade 4. Numerô 445.) cur Eusebius ad tres Filios Constantini rescribens, auderet mentiri de Baptismo Constantini, à quibus refelli posset. Prudenter Ennodius, Episcopus Ticinensis. (Floruit annô 500.) aggrediens ad vitam S. Epiphanii Ticinensis, ait. *Nemo sub oculis præsentia penè & nimiùm nota commemorat, nisi qui de veritate confidit.*

Credibile ne item est, Sanctum Hieronymum, Sanctum Ambrosium, recensitosquè Historicos Veteres & Scriptores habuisse fidem Eusebio, nihil in re tanta indagantes? *Accedit.* Quòd Historici Græci classici Theodoretus, Socrates, Sozomenus, idem de Baptismo Constantini paulò ante Obitum referunt in Ariminensis Concilii literis. Ut videre est hìc infra in Argumento 3tio, num: 38. 39. 40. 41.

37. Nequè ex eo, quòd Eusebius, Hæreticus fuit (supponamus eum etiam in Hæresi mortuum) Historicâ fide indignus est, ut constat Tum ex S. Hieronymo aliisquè supra allegatis. NB. Tùm quia aliàs plurimi ex ipso Martyrologio Romano eradi deberent Sancti Martyres, utpote de quorum Vita & Martyrio non constat aliunde, nisi ex ipso Eusebio Cæsariensi. ARGU-

ARGUMENTUM 3tium.

38. ANnô ab obitu Constantini Magni Vigesimo Secundô, Annô verò Christi 359., còácta est in Italia Synodus Arimini: in illo Concilio Ariminensi fuerunt Episcopi 400. inter quos, 80. Ariani, reliqui omnes 320., Catholici. Hi ergo omnes in Epistola sua Synodica scripta & missa ad Constantium Imperatorem, Filium Magni Constantini. (Exstat hæc Epistola etiam apud Sanctum Athanasium in lib. de Synodis) inter alia scribunt hæc. *Ariminum ex omnibus ad Occidentem positis Civitatibus, in unum convenimus; ut Fides Ecclesiæ Catholicæ cognosceretur, & qui alterius opinionis essent, manifesti fierent: Indecens & injustum videtur, immutare aliquid Eorum, quæ rectè, ac justè definita sunt, atq; Nicææ, communiter constituta coram gloriosissimo Constantino Patre tuo & Imperatore - Cùm sciamus etiam Constantinum* (*NB.* non Constantem, ut quidam cum Baronio legunt, de quo infra num: 44.) *post mortem quoq; memoriâ dignum, conscriptam cum omni diligentia, deliberationequè fidem exposuisse; atque adeo absurdum fore, postquam ille migraturus* (*NB.*) *baptizatus est, & ad debitam*

bitam ſibi requiem, tranſiit, innovare quidpiã, & tot Sanctos Confeſſores, & Martyres hujus placiti Scriptores Auctoresq; condemnare.

39. Ferè ſimilia, Epiſtolæ Synodicæ Ariminenſis verba leguntur, apud graves Hiſtoricos Veteres. Apud Theodoretum enim, lib. 2. Hiſt: Eccleſ: Cap. 29. ſic habetur. *Arimini, omnes occidentales Epiſcopi convenimus, ut & Catholicæ Eccleſiæ fides cognoſceretur; & manifeſti fierent, qui aliter ſentiunt - abſurdum, ſimul atq; impium judicavimus, mutare quidquam Eorum, quæ rectè juſtèq; conſtituta eſſent, omnium, qui Nicææ quondam convenêre conjuncta cum clariſſimi Imperatoris Patris Tui Conſtantini Sententia; cùm autem conſtet & Conſtantinum, memoriâ poſt mortem quoq; dignum, ſummâ curâ & exquiſitione, conſcriptam fidem expoſuiſſe, vitâ, illô, (NB.) poſt ſuſceptum baptiſma functô, ad meritam requiem transgreſſo, abſurdum fuerit, poſt hunc, quidquam innovare; atq; tot Sanctos Confeſſores & Martyres, qui hoc dogma conſcripſerint & innovârint, deſpicere.*

40. Apud Socratem etiam lib: 2. Cap. 29. eſt Epiſtola Synodi Ariminenſis, ad Conſtantium Imperatorem, in qua leguntur hæc: *Ariminum ex cunctis Occidentis Civitatibus, omnes*

omnes Episcopi convenimus; ut & Ecclesiæ Catholicæ Fides, illustraretur, & contraria sentientes, manifestarentur, visum etenim absurdum, & illicitum, aliquid de illis mutare, quæ rectè ac justè determinata, & Nicææ communiter, unà cum Illustrissimo Patre tuo Imperatore Constantino, deliberata sunt -- Constantinus quoq; dignus post mortem, memoriâ, Fidem hanc, quæ conscripta est, cum omni diligentia & inquisitione, posuit. Quoniam verò (NB.) *postquàm baptizatus ille, è convictu mortalium, sublatus est, & ad debitam pacem secessit, absurdum est, quidquam post eum innovare; & tot Sanctos Confessores & Martyres, qui doctrinam hanc conscripserunt, & invenerunt; contemnere.*

41. Demum & apud Sozomenum, libro 4. Histor. Ecclesiasticæ Cap. 27. ita habetur. *Synodus Ariminensis, viginti Episcopos electos, ad Imperatorem Constantium legatos mittit; ac per hos ista, è Latina lingua conversa, scribit. Ariminum ex omnibus Occidentis Civitatibus ad hoc omnes in unũ convenimus Episcopi; ut & fides Ecclesiæ Catholicæ cognita fiat, & contraria sentientes, manifesti reddantur - Absurdum & illicitum visum est, aliquid de illis immutare, quæ rectè & justè determinata, & Nicææ communi-*

ter unà cum gloriosissimo Patre tuo & Imperatore considerata sunt-recogitantes etiam & post mortem, memoriâ dignum Constantinum, fidem hanc omni cum diligentia & examinatione conscriptam exposuisse, posteaquam acceptô (NB.) baptismô, è consortio mortalium migravit, & ad debitam pacem discessit, absurdum judicavimùs, aliquid post illum immutare, ac tot Sanctos Confessores & Martyres, dogmatis hujus Conscriptores & Auctores contemnere.

42. *Tertium hoc Argumentum* desumptum ex Testimonio totius, in Italia habiti, Concilii Ariminensis: id est, omnium ferè Episcoporum Occidentalium, qui coævi fuerunt Constantino Magno, asserentium in sua Epistola Synodali, Eum paulò ante mortem, baptizatum fuisse, quia est inquam Argumentum validissimum contra Sententiam de baptismo Romano: ideo consultò ex tribus Veteribus Græcis Classicis Historicis desumpta proposui verba Epistolæ illius Synodalis, mentionem facientia baptismi Constantiniani; ut sic etiam comprobetur, non esse corruptum textum Epistolæ Ariminensis Concilii.

43. *Accedit ad Confirmationem Argumenti tertii.* Quòd S. Athanasius, Alexandrinus

Patriar-

Patriarcha, qui sub Constantino Magno florere cæpit, prædictam Epistolam Synodicam, Operibus suis inseruit, exstatquè impressa in Ejus Tomo 2. in lib. cui titulus *De Synodis Arimini & Seleuciæ*, eamque Epistolam approbat, proinde & approbat, collatum fuisse baptismum Constantino, propè ante obitum.

44. *Neq; dicas cum Card: Baronio.* In illa Epistola Concilii Ariminensis, ubi 2dô locô ponitur. *Constantinus* debet legi *Constans*. Scilicet sic: *Cùm etiam sciamus Constantem, post mortem quoq;*. Ita enim legitur in eadẽ. Epistola apud S. Athanasium in Latinum versa ex Græco.

Contra enim est. Quia (ut rectè arguit P. Papebrochius, & P. Janningus cum aliis pluribus) Card: Baronius tantummodò legit S. Athanasii textum Latinum, ut est apud Interpretem Nannium, Annô 1564. editus: ubi is, nescio quâ Socordiâ, in sua Latina Editione in illa Epistola Synodica Ariminensi, Secundô locô *Constantem* nominavit pro *Constantino*. Forsan suspicabatur, fore efficaciùs, si post Patris exemplum, Constantio proponeretur etiam Fratris, licèt Junioris: Nequè considerans, huic parùm con-

gruere verba Synodi, qui violenta morte sublatus fuit, & fortassis diu antea baptizatus. Interim Baronio ignoscendum, quòd objectæ ex Ariminensi illa Epistola, Auctoritati, aliàs, ut fatetur, *peremptoriæ*, congruam ex Athanasio Responsionem nactum se esse, crediderit Nannio, græcæ ipsemet imperitus linguæ; forsan etiam nec Exemplaria Græca ad manum habens, quæ alteri, legere scienti, exhiberet. Sed si Card: Baronius legisset, vel etiam sibi legi curâsset, textum Athanasii Græcum, Annô 1600. primùm in lucem typis editum ex Novem Codicibus manuscriptis diversis, qui omnes *Constantinum* legunt, concinnatum, additâ interpretatione Nannii prædictâ; si legisset eandem Epistolam, græcè apud Labbeum & Cossartium Tomo 2. Conciliorum, col. 798. utrobiquè ex fide plurium manuscriptorum, legisset, *Constantinus*: atquè Sententiam suam, hac in parte, Veritatis utpote studiosissimus, mutâsset, dixissetquè forsan quod legendo Socratem, Sozomenum, Theodoretum, eandem Epistolam Synodicam referentibus, cum hac voce utrobiquè *Constantinus* dixerat: Annalium Tomo 3. ad Annum 324. Numero 53. *Quis audiens Athanasium etiam scripsisse, Constan-*

stantinus, non statim intelligat causam Baptismi Constantiniani, Eusebio adjudicandam, nec ullum reliquum esse defensioni locum?

ARGUMENTUM 4tum.

45. EX pluribus Rationibus est còálitum scilicet; Tum quia nihil affertur, quod omnino evincat certitudinem baptismi Constantiniani Romani. ut constat ex dictis sub Quæstione II. III. IV. Tum quia baptismum Nicomediensem approbant non tantùm Scriptores & Historici Veteres: ut Eusebius, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Cyzicenus, &c. Libellus Synodicus ante annos Septingentos editus; Fasti Ecclesiæ Alexandrinæ: ut videre est supra in hac Quæstione: item infra in Quæstione XI. Non solùm item Recentiores, ut Æneas Sylvius, seu Pius II. Cusanus, Perronius, Petavius, Lambetius, Valesius, &c. Sed etiam omnes insigniori eruditione præstantes in Italia, Germania, Gallia, amplectuntur sententiam de Baptismo Nicomediensi. Vide supra in hac Quæstione.

46. Favet Probabilitati Sententiæ hujus, Cardinalis Cajetanus. Vide sub Quæstione XII. Favet & Sanctus Antoninus, Archiepi-

scopus Florentinus: Nam in sui Chronici prima Parte Tit: 8vo. Cap. 2. §. 8vo. mihi, fol: 566 de Sententia asserente Constantinū Romæ Baptizatum à S. Silvestro, & à lepra mundatum, dicit: *Ista Opinio communiùs tenetur, ut magìs pia.* Vide etiam dicta ad finem Quæstionis XII. num: 73.

QUÆSTIO VI.

Estne saltem probabilis Sententia, quæ asserit Constantinum Magnum esse bis baptizatum: scilicet, semel Romæ à S. Silvestro: 2dò, Nicomediæ, paulò ante mortem, ab Eùsebio, vel aliquo alio?

47 P*Ræmitto.* Prædictæ sententiæ de duplici baptismo, dicitur fuisse Auctor quidam Anselmus Havelbergensis Episcopus in lib: 3. Dialogorum, quos libros tres, Eugenio 3tio dedicavit, Annô 1145. Hunc Anselmum secutus est ante annos 250. Jacobus Zenus, Episcopus Patavinus, & ante annos fere 100, Cardinalis Jacobatius, lib.10.de Concilio, Illustrissimus etiam Schelstratius, ad baptismum Romanum tenendū propensior, & Nicomediensem negare non valens, cæpit etiam dubitare, aliisquè proposuit

posuit considerandum. An ea difficultas solvi non posset, sustinendo, quòd Constantinus, Romæ, Catholicè baptizatus, Nicomediæ autem, more Arianorum sit rebaptizatus?

Hoc præmisso.

48. *Respondeo. Esse falsam & omnino improbabilem sententiam hanc.* Non tantùm ex eo, quia nulli fundamento probabili seu gravi innititur, & omnibus antiquis scriptoribus, ut minimùm totis octingentis annis à morte Constantini fuit ignota, de hoc duplici ejus baptismo. Sed etiam ex eo improbabilis. Quià 2dum baptismum, Ecclesia Orthodoxa, semper, præcipuè verò clarissimè in Concilio Nicæno, cui interfuit Constantinus, detestata est. Ergo prudenter & probabiliter dici nequit, Constantinum contra Definitionem Ecclesiæ sibi notam, voluisse rebaptizari; sic enim impiè, atque ab Ecclesia penitus alienus, migrâsset de vita: Quod à vero quantum deflectat. vide infra sub Quæstione XIII.

QUÆSTIO VII.

Quid tenendum de sententià asserente Constantinum esse baptizatum Constantinopoli à Papa Eusebio?

49 P*Ræmitto*. Auctor Græcus innominatus in Historiâ de Inventione Crucis Dominicæ, inter aliâ habet hæc. *Rex Constantinus venit in suam Civitatem* (utique Constantinopolim ?) *Inde mittens ad Eusebium Urbis Romæ, fecit eum venire ad se, qui catechizavit Eum fidem Christianorum, & baptizavit Eum. Hoc Præmisso.*

50. *Respondeo. Prædictam Sententiam esse manifestè erroneam. Ratio est.* Tum quia Eusebius Papa obiit Annô Christi 311. Constantini Imperii Annô 6tô. Constantinopolim verò, modo primùm, Annô Imperii sui 23tiô construere cæpit è Bizantio. Quomodo ergo Constantinus, in suam Civitatem, Constantinopolim, quæ nondum erat, venit, baptizandus ab Eusebio Papa, jam pridem defuncto ? Tum quia certum est ex Historiis probatissimis, quòd Eusebius Natione Græcus, postquam electus in Pontificem, nunquam ex Italia aliò migraverit. Nec ullus unquam idoneus Scriptor, hactenus asseruit, Constantinum fuisse baptizatum Constantinopoli, nisi ille innominatus Auctor, Historiæ imperitissimus: quod vel ex eo etiam constat; quia scribit, inventam fuisse Crucem Domini, Annô Christi 266.

Cùm

Cùm certum sit eam primùm inventam post Concilium Nicænum, id est post Annum Christi 325.

QUÆSTIO VIII.

Quidnam respondendum ad Auctoritatem Breviarii Romani, in quo (ut legitur ad diem 31. Decembris, in Festo S. Silvestri. Item 9nâ & 18vâ. Novembris) *clarissimè asseritur, Constantinum esse baptizatum Romæ à S. Silvestro?*

51 R*Esponsio petenda est ex iis*, quæ dixi sub Quæstiòne prima Scrutinii Veritatis de lapsu Sancti Marcellini à pagina 24. scilicet.

Respondetùr Verbis Eminentissimi olim Vincentii Ursini, nunc jam S. D. N. Benedicti XIII. qui modò Catholicam Sanctam Ecclesiam feliciter regit. *Breviarium Romanum* (inquit ille) *maximæ quidem Auctoritatis est in iis, quæ per se ad cultum Ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis est in privatis factis, aut gestis, quæ in vitis Sanctorum, ex occasione referuntur; ita, ut efficax Argumentum inde peti non possit: ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa,*

quæ

quæ illis utitur, inconcussæ, infallibilisq; veritatis judicat, quæ Breviariis sunt inserta; cùm multoties pro variis temporibus, variâ ex Occasione, ea mutaverit, correxeritq;. Testatur id Concilium Senonense, de Anno 1528. quod, ut Breviaria & Missalia emendarentur, Decretô Sanxit. Testatur Concilium Coloniense, de Annô 1536. cui hoc idem decernere placuit; ac demum Concilium Rotomagiense Anni 1581. & Concilium Rhemense, Anni 1583. decernunt, ut quàm diligentissimè à falsis Narrationibus, Breviaria repurgentur. Quæ omnia argumento sunt non illico putāda esse ab omni aberratione Historica, libera Breviaria sed magnû plerumq; spongiâ egere, licet ea in suum usurpet Ecclesia. Imò nec suis omnino carere nævis Clementino Urbanum, quô utimur Breviarium, Doctissimi Historiarum Exploratores judicant. Hucusque Sanctissimus Benedictus Papa, ejus Nominis XIII. Antea Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Beneventanæ Ecclesiæ ArchiEpiscopus, Metropolita, in Doctissima sua Dissertatione de Reliquiis S.Bartholomæi Benevento vindicatis, impressa A. 1694.

52 Itē Excellentissimꝰ ac Reverendissimꝰ Joannes Thomas de Roccaberti, in Tract: de Romanis Pontificibus lib: 2. Apolog: cap. 14.

num:

num: 2933. dicit. *Ecclesia in sanctorum factis Historialibus, sicut & in his, quæ ad illorum attinent cultum, sequitur, quod communiter receptum est, quodque ad probabilem opinionem gravissimorum Auctorum judiciô innixam, sufficit; quin hinc deducatur, non posse nos oppositum probabiliter, opinari; cùm, Ecclesia, ea, quæ in Sanctorum Actis continentur, tanquam fide certa & infallibili actu credenda (ut cum Baronio diximus) non proponat.*

53 Illustrissimus etiam Felix de Mata Episcopus S. Severi, Tomo de Sanctorum Canonizatione, Romæ impresso, Annô 1678. (part.4.cap.24.) respōdet ad id quod Breviariū dicit de baptismo Magni Constantini, citatque genericîs terminîs Auctores, qui sentiunt oppositum, & doctrinæ suæ affert rationem his verbîs. *Quia utcunque sit, certum est, quòd Romana Ecclesia, hujusmodi historias, licèt ex his lectiones Breviarii antiquitùs desumptæ fuerint, non tanquam inconcussè veras, & quasi de fide credendas, canonizat.*

Ad meliorem intelligentiam & confirmationem nunc dictorùm.

54 *Nota* 1. Sicut nihil contra Reverentiam Sanctæ Sedis Romanæ Apostolicæ peccârunt Eminentissimus olim Ursinus, nunc Bene-

dictus

dictus XIII. Nec non Cardinalis Baronius, & Nobilissima Burghesiorum Familia, in eo, quòd primus negaverit ac deduxerit in sua erudita Dissertatione de Reliquiis S. Bartholomæi Benevento vindicatis, impressa Annô 1694. nunquam Beneventô translatum esse Romam, Corpus prædicti Apostoli, & si contrarium habeatur in Breviariis & Martyrologiis. Cardinalis verò Baronius in suis Annalibus, ad annum 434. num: 38. & 39. adductis validîs Rationibûs probaverit, esse gratìs conficta cujusdam Concilii Romani Acta, sub Sixto Papa III. in causa Polichronii Jerosolymitani Episcopi, quæ tamē Acta, ut legitima citaverat Nicolaus I. in Epistola sua ad Michàélem Imperatorem. Nobilissimi item Burghesii demonstraverint, S. Catharinam Senensem, non rectè in Breviario dici, natam ex Benincasia, unà cum Burghesia Familia ex eodem stipite proveniente: effeceruntq; ut in Breviario deletîs verbîs supra dictis, solùm poneretur, ortam esse ex piis Parentibus. Nec peccârunt contra eandem Sanctam Sedem Reverendissimus Joannes Thomas de Roccarberti, qui prius clarissimi Ordinis Prædicatorum fuit Generalis LVIII. postea Archiepiscopus Valentinus, & Inquisitor supremus

in

in Hispania (obiit is Madriti Annô 1699.) Nec non Eminentissimi qùatuor Cardinales, Bellarminùs, Laurea, Aguirre & Perronius. Item Antonius Pagius ex Seraphico Ordine S. Francisci eximius temporum Chronologus: Christianus Lupus ex Sacro Ordine Divi Augustini in Notitia Conciliorum Versatissimus, nec non plurimi alii, quorum & ego Sententiam secutus sum in Lucubratione mea cui titulus *Scrutinium Veritatis in Historia triplici.* Sicut inquam hi non peccârũt contra Sedem Apostolicam, quòd cum Sancto Augustino censuerint, S. Marcellinum Papam ab idololatriæ crimine fuisse semper alienum; licèt in Breviario & Martyrologio legatur oppositum: Ita nihil etiam peccatur contra Reverentiam Sanctæ Sedis, quòd cum plurimis Doctissimis, Catholicissimis suprà recensitis, censeatur Constantinus Magnus esse primùm proximè ante obitum suum in Suburbiis Nicomediæ baptizatus.

55. *NOTA 2dò*: Cum Patre Rayæo Theologo, perlibenter Concedendum est, quòd Historiæ quæ in Breviario Romano per Sedem Apostolicam approbato, recitantur, ut maximè veræ ab Ecclesia honorantur. Quãdo nulla ratio magni momenti à Viris piis,

Catholicis, & Eruditis, in contrarium affertur. Sin secus: negandum est. Constat enim, quòd Sacra Rituum Congregatio, Breviaria mutaverit persæpè, substitueritquè Historias, Historiis inductis, contrarias; id quod nunquam faceret, si sibi persuasum haberet, Historias Breviario Romano approbatô contẽtas, esse verissimas & canonizatas; sicut Pontifex, Sanctos semel Canonizatos, ex Albo nunquam expungit. Certum tamen est, quòd non liceat in Breviario contentam ullam Historiam, necnon Diplomata, & Bullas Romanorum Pontificum, quæ etiam circa meras facti Quæstiones procedunt, sine Notabilis momenti ratione, in suspicionem erroris vocare.

56. *NOTA 3tiò.* Quòd certè non minoris Auctoritatis sunt ea, quæ in Missali Romano impressa, continentur, quàm quæ in Breviario Romano: & tamen non omnino omnia, in Missali contenta, sunt indubitatæ Veritatis; nam non ptocul ab initio Missalis, ubi agitur de defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus §. 5tô leguntur ista: *Verba Consecrationis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, sunt hæc: Hoc est enim Corpus meum &c. Hic est enim Calix Sanguinis mei,*

novi

novi & æterni testamenti Mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum. Si quis autem diminueret de forma Consecrationis, Corporis & Sanguinis, non conficeret Sacramentum. Et tamen communiùs & probabiliùs docetur, cum Magistro Sententiarum Petro Lombardo, Alensi, S. Bonaventura, Durando, Aureolo, Suarez, Vasquez, Bellarmino, Lugone, & aliis plurimis, formam essentialem, quâ consecratur panis, consistere in his solis quatuor verbis. *Hoc est Corpus meum.* Sufficienter enim hæc Verba significant præsentiam Corporis Christi, sub speciebus panis, sufficienterquè determinantur, ad significandum Corpus Christi non Sacerdotis, illa proferentis, per hoc, quòd Sacerdos illa proferat, ut gerens Personam Christi. Communiùs item & probabiliùs, cum prædictis supra Theologis, contra S. Thomam, in 3. partem, Quæst: 78. Art: 3tiô, & contra alios quosdam docetur: Formam essentialem, quâ consecratur vinum, consistere in his solis verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei.* Nam hæc verba antecedenter ad ista sequentia: *Novi & æterni Testamenti &c.* Completè significant conversionem Vini in Sanguinem Christi,

proinde illam operantur. Conceditur tamen illa esse verba pronuntianda non necessitate Sacramenti, sed præcepti.

57. *NOTA 4tò. Ex P. Papebrochii Responsionibus ad Articulum 17.* Circa Annum 1160. Ecclesiæ singulæ, arbitratu suo formabant & reformabant Breviaria. Nec enim unum etiam Romanum Breviarium ostendi potest ante Pium V., cui addatur Romani Pontificis Auctoritas: absquè illa autem ostenduntur & ante & post Pium excusa sub Nomine & Auctoritate Diæcesanorum Episcoporum, imò & solius unius Capituli. Nomen item Breviarii, eô, quô Ecclesia ipsum sumit sensu, antiquissimum non est. Quatenus verò in illo continentur Lectiones de Sanctis pro Officio Nocturno, multò etiam est recentius; adeo, ut à grandi Breviariorum Antiquitate, nequeat pro vetustissimi alicujus facti veritate, grande præjudicium formari. Etenim omnium hactenus sub Breviarii titulo repertorum, antiquissimum, sæculô undecimô scriptum, Cassinô, Parisios attulit Joannes Mabilio. Breviariorum forma antiqua non comprehendebat Lectiones de Sanctis.

58. Idem P. Daniel Papebrochius cum pluribus

ribus eruditissimis Orthodoxis asserit; Non adeo esse credibile, Silvestri Papæ Annô 1mo, Constantini Imperii 19no, post tot ab eo faventissimas leges pro Christiana fide latas, exortam esse aliquam adversùs Christianos gravem persecutionis procellam, quâ S. Silvester adactus est (ut legitur in Breviario) quærere latebras in monte Soracte, qui distat ab Urbe Româ octodecim millibûs passuum. *Ratio hujus Asserti affertur hæc.* Quia nec unus quidem Martyr nominatur, tunc Romæ passus; nec alterius Romani Pontificis invenitur exemplum, qui sævientibûs quantumcunquè Tyrannîs, Urbem dimiserit post S. Petrum, ne id faceret divinitus monitum; difficilèquè est creditu, Constantinum, qui tam insignis Crucis in cælo, Christiquè per visum apparentis, miraculô, adductus fuisse dicitur ad fidem Christianam, in eadem colenda, tam repente factum languidiorem, vel potiùs ab eadem recessisse.

QUÆSTIO IX.

Quid respondendum ad Auctoritatem Martyrologii Romani? in quo legitur 31. Decembris

 Romæ,

Romæ, Natalis, S. Silvestri Papæ, qui Magnum Constantinum Imperatorem baptizavit.

59. RESponsio petenda ex dictis immediatè sub Quæstione VIII. *Accedit.* Quòd (ut Sapienter notavit P. Antonius Xaramilius, S. J. Theologiæ in Hispania celebris Professor, & Sancti Officii Qualificator in Apologia sua, pro Veritate Cap. 7.) In antiquis impressionibus Romani Martyrologii, legitur 26. 7bris; Eusebius fuisse Papa 6. annîs, uno mense, & tribûs diebûs. Evicit contrarium Baronius, (ad An: 311. Num. 4.) Ejus Pontificatui concedens solùm duos annos, & menses aliquot, non amplius: atquè ita in sequentibus impressionibus, sublati sunt illi anni superflui. Idem Martyrologiũ, imâ Julii mentionem faciebat Sancti Proculi, Episcopi Bononiensis. Sed Baronius ad annum 303. Num: 122. probat, dumtaxat fuisse Martyrem, & per errorem, in Romanum Martyrologium irrepsisse nomen Episcopi. In Nativitate Christi, Martyrologium Romanum sequitur Chronologiam 70 Interpretum: quam tamen deseruerunt Auctores eruditissimi, & ipse Baronius cum illis.

60. Reverendissimus etiam Joannes Thomas de Roccaberti in Tractatu de Rom: Pon-

tif:

tif: Num:2932. habet hæc. *Esto Breviarii Martyrologiiq; Auctoritas in cujuslibet facti censura, ac Sententia, magna gravisq; sit; necesse tamẽ esse, ut animadvertamus, nullatenus Ecclesiam, nobis Historias, factaq; in illis enarrata, ut tanquam Evangelio credamus, proponere. Solùm ergo Ecclesia à nobis exigit, ut hujusce Historiis fidem adhibeamus, ea ratione, quâ fides hujusmodi factis adhibenda sit.* Hancquè in rem, citat Baronium, & vult, ut intelligamus illas nobis ab Ecclesia proponi juxta Gelasium Papam, tanquam dignas examinari, appendiquè in illa bilance Apostolica. *Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

QUÆSTIO X.

Quænam Sententia est probabilior. An illa quæ asserit, Romæ baptizatum Constantinum? An, quæ propè Nicomediam?

61. QUidnam sit respondendum, ipsemet prudens ac eruditus Lector decernat, perpensis priùs accuratè Rationibûs omnibûs, pro, & contra; quas legere est sub Quæstione I. II. III. IV. V. VIII. IX. XII.

Porrò ad prudentiam Lectoris decernentis hoc in passu, spectat inter alia, ne sit è

numero, Vel eorum, quos affectio cùm semel aliqua imbuerit, fit impossibile etiam mille funibus & Rationibus, à Veritate benè compactis, latum unguem à sententia dimoveri. Vel illorum, quorum nimìs altum est supercilium: perdifficilè enim est, ut talibus quidpiam placeat: suntquè ejusmodi ordinariè ex Classe eorum, qui (ut ait S. Hieronymus Præfatione in Esdram & Nehemiam); judicare tantùm de aliis erroneè, & ipsi rectè facere nihil noverunt. Nec demùm sit ex illorum Ordine, qui sunt magìs creduli, quàm eruditi, priusquè judicant, quàm intelligant. Opto etiam, ut Lector cum debita attentione legat præsentem Lucubrationem, præcipuè Quæstionem V. VI. & XII. Mens enim nostra ad cognoscendum verum, vel discernendam majorem vel minorem probabilitatem, vel falsitatem alicujus sententiæ, non absimilis est Sagenæ, sed sagenæ piscatoriæ, quæ nisi benè demergatur, ad prædam inepta est.

62. Ego, ut fatear, propendeo in sententiā, quæ continetur sub Quæstione V. inter alia ex eo etiam: Quia (ut ait P. Papebrochius in loco, supra citato, sub Quæstione V. num: 23.) Eam amplectuntur omnes Catholici,

lici, qui nunc aliqua Eruditionis laude clarent in Italia, Germania, Gallia. Et P. Philippus Brietius in suis Annalibus ad Annum Mundi 4390. Christi 337. testatur, quòd pro eadem Sententia *stant Eruditi*. Censeo tamē probabilem etiam esse Sententiam, de baptismo Romano Constantiniano.

QUÆSTIO XI.

Supposito, quòd S. Silvester non baptizaverit Constantinum, quis nam ejus fuerit baptista?

63. R*Espondetur.* S. Hieronymus asserit, Eum ab Eusebio Nicomediensi baptizatum: idquè ex eo censebat S. Doctor, quòd in Eusebii Diæcesi, & fortè eo præsente, baptizatus fuerit. Photius, Episcopus Constantinopolitanus (qui vivebat Annô Christi 858. Vir magnæ eruditionis, sed non minoris superbiæ) in sua grandi Bibliotheca, Cod: 88. scribit sic. *Desinit Gelasius Cyzicenus* (erat is Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, Actorum in Concilio Nicæno Collector) *in Imperatoris Constantini Magni obitu; quando Divinô remissionis peccatorum lavacrô susceptô, hujus vitæ maculas, quas communi mortalium sorte contraxis-*

ſe oportuerat, unà eluit: baptiſmate, verò tinctum refert ab orthodoxo Sacerdote, ſacroq; ritu; non autem, ut quidam prodiderunt, ab Hæreticorum aliquo. Longiorem autem hanc baptiſmati obveniſſe moram, quòd, ipſis Jordanis fluminis aquîs, tingi vehementer optâſſet. Quidam ſuſpicantur ab Hoſio Epiſcopo Cordubenſi baptizatum: utpote qui fuit maximæ Auctoritatis apud Conſtantinum, & in Ejus comitatu frequens.

64. Verùm probabiliùs eſt, S. Petrum, Solorum in Cypro Civitatis, Epiſcopum, fuiſſe baptiſtam Conſtantini; ſiquidem Faſti Eccleſiæ Alexandrinæ, in Habeſſinæ Gentis, Hagiologium metricum relati, ad diem 7. Tubæ, qui diei ſecundo Januarii noſtri reſpondet, accinunt prædicto S. Petro hanc Strophen. *Salutem dico tibi Petro Solenſi Baptiſtæ Conſtantini Regis, qui crucem revelavit* (id eſt invenit, aut publicè colendam propoſuit.) *Dies miniſterii tui, facti ſunt dies Juſtitiæ, & æquitatis adminiſtrandæ: quoniam confractus eſt Dagon, & cecidit Bel, ſicut olim Iſaias prædixit.* Quia nempe per baptiſmum Conſtantini, ſublata eſt Ethnicis ſpes reſuſcitandæ aliquando Idololatriæ. Non meminit quidem præfati S. Petri, Euſebius (in

Vita Constantini lib. 4to, agendo de ejus baptismo) forsan ideo, ne illa proditione (utpote ipse favens Arianismo) Catholicis videretur prodesse: nec etiam meminit Eusebii Nicomediensis: quia id salva veritate, non poterat: silendo ergo Auctorem baptismi, relinquebat argumentum posteris suspicandi, baptismum collatum esse ab Eusebio Nicomediensi; quia in ejus Diæcesi baptizatus fuerat Constantinus. Vide etiam dicta supra sub Quæstione II.

QUÆSTIO XII.

Quid Censendum de sententia, ex Actis S. Silvestri desumpta, quæ asserit, per Baptismū Romanum depulsam fuisse Constantini lepram?

65. MElchior Canus (ex Sacro Ordine Prædicatorum Theologus celebris, & primariæ Cathedræ in Academia Salmanticensi olim Præfectus, postea Episcopus Canariensis) ad illam Quæstionem, Lib: 11. de Locis Theologicis. Cap. 5. mihi Pag: 512. Respondet sic: *Leprâ Constantinum laborâsse, apud idoneos Authores nusquam legi, sed ejus nominis alium Cognomentô Copronymum: Unde*

for-

fortassè ambiguitate vocis, error inductus. Nisi rumor iste de lepra, inde ortus videri possit: quòd Bizantiô ad aquas calidas, valetudinis gratiâ, Eum egressum ferunt. Et paucîs interjectîs, de Cajetano, qui fuit ejusdem celeberrimi Ordinis Prior Generalis, Annis decem, posteaS. R. E. Cardinalis (obiit Romæ, Annô 1534.) hoc ipsum negante, ait. *Habet hic scriptores omnes Veteres ejus ætatis, tacuerunt, non omissuri, si scivissent: scituri omnino rem, si fuisset.* Demum concludit. *Lepræ Constantinianæ testis gravis & probatus ex Veteribus, nemo est. Itaq; si negemus, nec Pontificum, nec Historicorum Auctoritatem labefacimus.*

66. Cajetanus verò ipsemet, *Vir* (teste Card: Bellarminô Lib. de Script. Eccles.) *summi ingenii, nec minoris pietatis.* in 3tiam partem, Quæst:64. Art: 8vo. expresse dicit. *Nullius Auctoritate constat, Constantinum mundatum à lepra in Baptismo. Tum quia Gesta Silvestrina, incertum habent Authorem. Tum quia nullus, sive Christianus, sivè Gentilis Historicus invenitur id scripsisse. Tum quia præcipuè Ambrosii Auctoritas obstat: Dum in Oratione de obitu Theodosii expressè dicit: Constantinum in ultimis Constitutum, baptizatum fuisse.*

fuisse. Quod longè distat ab hoc; scilicet, quòd in principio suæ conversionis fuerit baptizatus: & propterea narratio de lepra Constantini, non est assertivè probanda. Hucusquè Cajetanus.

67. Goffridus Viterbiensis, qui sæculo 12. floruit, Conradi III. & Friderici I. Imperatorum Notarius, in Chronico suo (quod dedicavit Urbano III. summo Pontifici) Parte 16. dicit: *Quod autem de lepra Constantini legitur, videtur apocryphum: quia in nullis libris Authenticis, neq; in Chronicis legitur.* Platina, qui vixit tempore Sixti IV. cui dedicavit Librum de Vitis Pontificum Romanorũ, in Vita Marci Papæ, qui immediatè successit Sancto Silvestro, ait: *Quòd verò in lepram Constantinus inciderit, ut vulgò dicitur, baptismôque mundatus sit, confictâ priùs de sanguine Infantum, nescio quâ fabulâ, nullô modô credo: & verò hac de re, à nullo scriptorum fit mentio, non dico ab his, qui Ethnici sunt habiti, sed nec à Nostris quidem; non reticuisset hoc Orosius, non Eutropius, non illi, qui Constantini res gestas, quàm diligentissimè scripsêre.* Similia habet Cardinalis Andreas Alciatus, Lib. Parerg: 7mo. Cap. 19. Ludovicus Vives, Philippi II. Hispaniarum Regis quondam Præceptor, Lib: de Corr: Disc. 2.

68. Solet

68. Solet etiam ad negandam Constantini lepram adduci Ratio non contemnenda, imò sat valida, hæc. Quia Julianus Successor Constantini & Gener, Annô 26. post illum mortuus, quamvis Apostata, qua fronte ausus fuisset (ut legitur apud S. Cyrillum, Patriarcham Alexandrinum lib: 7mô contra Julianum) obijcere quasi per ludibrium, Christianis: *Et lepram quidem leprosi, non adimit baptisma: nec summas scabies, neq; podagram, neq; parvum, neq; magnum corporis peccatum; & adulteria, rapinas, & in summa, omnes iniquitates adimet?* Si recenti memoriâ, in Constantino, re ipsa tale miraculum, in conspectu ferè totius Orbis contigisset nunquid S. Cyrillus, summa eruditione & Historiarum notitiâ præditus, ad Juliani convictionem, non attulisset illud miraculum? sicut S. Beda lib. 3. Comm: in Marci 11. Cap: impugnando Gentiles, qui improperabant Christianis, quòd non habuerint plenam fidem DEI: siquidē nullus illorum, ex uno loco in alium transtulit montem aliquem, juxta Christi promissionem: Refellit illos, adductô exemplô montis, quem S. Gregorius Thaumaturgus, de suo loco transtulit, quantum suffecit ad ædificandum Templum. Sed nihil de illa depul-

sione

sione lepræ, meminit S. Doctor Cyrillus: (qui vivebat Annô Christi 410.) tantummodo respondet, Christum Dominum, etiam leprosos mundâsse: baptismum verò ab Eo institutum esse, ad emundandas sordes animæ, non corporis.

P. etiam Conradus Janningus S. J. in Historiis antiquis, præsertim Ecclesiasticis, versatissimus (qui simul cum P. Papebrochio & P. Francisco Bàertio continuavit Acta Sanctorum, Tomìs pluribûs, jam impressa) is in sua Epistola familiari de baptismo Constantini, opinionem Auctorum supra citatorum, approbat dum quærit. *Quis de lepra illa somniavit unquam, usq; ad Gelasii tempopora, & diu post, idoneus Scriptor, Latinus Græcus, Christianus, Gentilis, amicus aut inimicus Constantino?*

69. *Neq; valet dicere.* Constantinum, quamdiu leprâ deformatus fuit, non comparuisse unquam in publico, adeoquè nec spectante Româ suscepisse baptismum, sed paucìs dumtaxat arbitrìs, id fierì voluisse intra Palatium Lateranense; ideoquè non mirum, quòd nec Sanctus Cyrillus, nec alii extranei Historici, quidquam sciverint de ejus lepra. *Contra enim est.* Quia S. Antonius

ninus in sui Chronici parte 2da, Tit: 9. mihi fol: 4tô & 5tô ex aliis vetustioribus Aucto-
" ribus scribit hæc. Constantinus incurabi-
" lem incidit in plagam lepræ, tandem con-
" siliô idolorum Pontificum, adducta sunt
" tria millia puerorum, ut eos occidi face-
" ret, & se, in eorum sanguine recenti, &
" calido, balnearet. Egredienti autem eô,
" ad locum, ubi balneum parari debebat, ma-
" tres puerorum obviant, quæ resolutîs cri-
" nibûs, miserabiliter ululabant. Et lachry-
" mans Constantinus, jussit stare currum,
" & erigens se, dixit: Audite me Comites,
" & Commilitones, & omnes populi qui
" adstatis. Dignitas Imperii Romani de fon-
" te nascitur pietatis, quæ hanc etiam legem
" dedit, ut capitali sententiæ subdere-
" tur, aliquem in bello quicunquè occidisset
" insontem. Quanta ergo erit crudelitas, ut
" hæc nostris faciamus filiis, quod fieri pro-
" hibemus alienis? Jussit igitur ut Matribus
" suis pueri redderentur, & dona plurima
" & infinita vehicula præberentur, ut quæ
" flentes ad Patriam alienam venerant, ad
" loca sua cum gaudio remearent. Ergo falsum est, non comparuisse in publico Constantinum, leprâ deformem.

70. Con-

70. Congruum item erat, Ejus & S. Silvestri pietati ac Zelo, ut tantum miraculum, si revera fuisset, omnibus publicari curâsset, sicque ad fidem Christianam Gentiles traxisset. Imò legitur in Actis Silvestrinis, quòd primâ die sui baptismi, hanc legem tulerit. *Christum, esse Dominum verum, qui se mundâsset â lepra, & hunc ab omni Orbe Romano coli debere.*

71. *Ego ad prædictam Quæstionem XII. Respondeo. Censeo probabilem esse sententiam, quæ negat per Constantini baptismum Romanũ, fuisse depulsam ejus lepram. Ratio est. Tum* quia constat ex dictis sub Quæstione V. Multùm esse probabile, Constantinum non Romæ, sed modò primùm proximè ante suam mortem, fuisse baptizatum in suburbiis Nicomediæ. *Tùm* quia adducta Responsio S. Cyrilli ad Objectionem Juliani : nec non silentium omnium idoneorum Scriptorum, qui tempore Constantini, vel proximè post Eum floruerunt ; silentium inquam de illa lepra, videntur sat validè comprobare Responsionem Nostram. Illa enim quæ afferuntur in Contra, ex Actis S. Silvestri, & Auctoritate Breviarii &c. reddunt quidem non omnino improbabilem Affirmativam

Sententiam de lepræ depulſione; Ita tamen reddunt, ut Sententia Negativa, in ſua Probabilitate ſat firmiter conſiſtat: ut ſufficienter conſtat ex iis, quæ dicta ſunt ſub Quæſtione III. & VIII.

72. Quod ſi dicatur. Utiquè S. Gregorius Turonenſis Epiſcopus (floruit is, Annô Chriſti 590.) deſcribens Baptiſmum Clodovei, primi Gentis Gallicæ ſuæ Chriſtiani Regis, ait: *Procedit novus Conſtantinus ad Lavacrum, deleturus lepræ veteris morbum, ſordentesq; maculas geſtorum antiquorum, recenti latice deleturus. Reſpondetur.* Per lepræ morbum, intelligit S. Gregorius, non corporalem lepram: nam hanc non eſt paſſus Rex Clodoveus, ſed ſpiritualem; ſicut, per sordentes Maculas, intelligit ſolùm ſpirituales maculas Animæ.

73 *Nota*, Hiſpalî impreſſæ ſunt Theſes triginta, & ſubſcriptum fuerat. *Propugnabuntur die 19. Octobris, Annô 1697. manè & veſperi.* (conſultò reticeo, etſi ſciam, in quonam Conventu propugnatæ) Inter illas 30. Theſis 8va eſt hæc: *Baptiſmum Magni Conſtantini, à S. Silveſtro miniſtratum, & virtute Sacri Lavacri fuiſſe prædictum Imperatorem à lepra mundatum, negare, inſignis temeritas eſt.*

Mox

Mox impressæ comparuerunt Salmanticæ, Antitheses etiam triginta, cum hoc titulo: *Contra calumnias, veræ Papebrochii Assertiones.* quibus subscriptum erat. *Defendentur Salmanticæ more Academico Juridicô, expositîs Librîs & Textibûs.* Inter Salmanticenses Antitheses 30. erat Octava hæc: *Constantinum Magnum, Romæ à S. Silvestro fuisse baptizatum, usq; adeò incertum est, ut contrarium sustineant hodie pleriq; Eruditorum: Cardinalis Perronius, Dionysius Petaviùs, Andreas Valesius, Antonius Pagiùs &c.: cum plerisq; Antiquorum: ut sunt, Eusebius, Theodoretus, Gelasius Cyzicenus, S. Ambrosius, S. Hieronymus, & alii plures.*

QUÆSTIO XIII.

Respondetur ad 13 Quæsita concernentia Fidem, & Pietatem Magni Constantini, necnon Ejus mortem, & locum sepulturæ, aliaq; nonnulla.

74 QUæritur imò. *Quidnam de Fide & Pietate Magni Constantini censent Patres?*

Respondetur. Liberius Papa in Epistola sua ad Constantium, vocat Constantinum, *Beatum*: quô eodem titulô decoratur à S.

Fulgentio Lib: 3tio de Veritate Prædestin: Imò & à Sancto Athanasio Orat: 1. contra Arianos. Eodem etiam modo Constantinum, vocat *Beatum* Sanctus Artemius Martyr sub Juliano, defendens Constantinum, à spurci Apostatæ calumniis: & S. Ambrosius dicit Constantinum, *Magni meriti locum reperisse apud* DEUM. Item S. Athanasius. (Teste Theodoreto Lib: 2dò Histor. Cap. 5.) agens cum Constante, Filio Constantini, hortatus est Eum, ut exemplô Patris, Fidem Catholicam per Arianos labentem, fulciret. Idem fecit Constans, scribens ad Constantium Fratrem, Arianorum Patronum. Ibidem S. Hilarius lib. 1mò. adversùs Constantium, vocat illum *Divinæ Religionis hostem, & rebellem Pietatis Paternæ hæredem.*

75. Joannes Tomcus in *Opere de Regia Sanctitate Illiriciana*, cum nonnullis aliis scriptoribus Europæis, Constantinum fidenter *Sanctum* appellat: idquè confirmat Auctoritate Urbani VIII. quem, ait, Statuam Constantini in Basilica Vaticana ornari curâsse, Notîs Sanctorum propriis sub statua Sanctæ Helenæ, qui locus, nunc mutatâ statuarum sede, subest statuæ Sancti Longini; ut scribit P. Raynaudus, Tomo 8vô.

76. *Quæ-*

76. *Quæritur 2dò. Quidnam Orientalis, necnon Universalis Ecclesia, sentit de ejusdem Constantini Fide, & Pietate?*

Respondetur. Orientalis Ecclesia Christiana, memoriam Constantini suscipit, ut ipsis etiam Apostolis comparandi, cum iis veneratione digni: legitur enim in Græcorum Monologio, 21. Maji. *Memoria Sanctorum, gloriosorum, à DEO coronatorum, atq; Apostolis æqualium, Imperatorum, Constantini, & Helenæ.* In Canone etiam, sanè antiquo habetur: *Sepulchrum, in quo jacet Sanctum ac Venerabile Corpus Tuum, Constantine, splendores divinarum sanationum palàm effundit omnibus, unde quaq; accedentibus, contra omnigenos morbos.* Et ad Vesperas, paucioribûs verbîs idem asseritur. *Ora pro Animabus nostris, Apostolis æquande Constantine, ex Cujus Arca, sanitates emanant.* Celebratur item Ejus Festum, 21. Maji quotannis in Græcia, Syria, & aliis plerumquè locis. Colebatur etiam ut Sanctus, in Anglia, & in Calabria.

77. Imò & Universalis Ecclesia, semper Eundem, ut Pietate insignem habuit, dum Ejus Nomen ex Antiquis Sacris Dyptychis, simul cum aliis Orthodoxis publicè recitare

consveverat: ut testatur Nicolaus I. Papa, ad Michaëlem Imperatorem scribens, dum ait: *Quanta autem DEI Cultorum Augustorũ, qui Ecclesiam DEI exaltaverunt, & præcipuè Romanam, Constantini videlicet, & Constantis, Theodosii quoq; Majoris, & Valentiniani, & Cæterorum Laus, in Universali Ecclesia polleat, & Eorum præconia ubiq́ue personent, & Nomen Eorum, inter Sacra Mysteria imprætermissè commemoretur, attentiũs & sedulò recordamini, sicq́; nos audire illos imitantes satagite.* Item, in Concilio Chalcedonensi, Marcianus Imperatot, Principum Religiosissimus, *Novus Constantinus* acclamatur. Comprobatur Pietas Constantini ex dictis sub Quæst: II. num: 12.

78. *Quæritur 3tiò. Quid dicendum ad Auctoritatem S. Hieronymi.* Qui in suo Chronico habet hæc: *Constantinus extremo Vitæ suæ tempore, ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinavit.*

Respondetur cum plurimis. Verba hæc: *In Arianum dogma declinavit.* Intelligi debere sic: Inclinare visus est in Eorum Sententiam, qui *Consubstantialis voce*, abstinendum censebant, non ut Hæreticâ, sed ut novâ, ideoquè scandalum generante apud Eos, qui

Nicæ-

Nicænæ Fidei omnino se adhærere profitebantur, persvadebantquè Imperatori, ut crederet, eos, qui vocabantur Ariani, voce illâ suppressâ, ad concordiam redituros. Talium, non verò ipsorum Arianorum, tunc erat Princeps Eusebius iste; post obitum Constantini duntaxat, ad Arianorum partes apertiùs transgressus in Conciliabulo Antiocheno, Annô 341.

79. *Illustratur Responsio data.* Quia, idem S. Hieronymus, scripsit: propter receptam Valentis, & Ursacii Confessionem in specie Catholicam, quia tamen in illa fuerat prætermissa vox hæc: *Consubstantialis*, scripsit, inquam. *Ingemiscens Orbis terrarum, miratus est, se esse Arianum.* Tamen certum est, Mundum totum non fuisse Arianum: Nam, qui se Arianum esse mirabatur, Arianus non fuerat; & qui de Arianismo ingemiscebat, Arianus esse, omnino nolebat. Nemo enim miratur se hominem esse, aut de eo ingemiscit, quod amat, aut complectitur. Atquè sic etiam explicat prædictum S. Hieronymi posteriorem textum, Cardinalis Baronius, in suis Eruditissimis Annalibus, ad Annum 359.

80. Porrò, sic intelligendum esse Sanctum

Doctorem, patet etiam exindè, quia disputans contra Vigilantium Hæresiarcham, Sacrarum Reliquiarum cultum, spernentem, ait. *Ergo Sacrilegi sumus, quando Basilicas Apostolorum ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui Sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei, transtulit Constantinopolim, apud quas, Dæmones rugiunt?* Certè, Sacrilegus dicendus fuisset; nec in Exemplum adducendus esset, si in Arianam Hæresim descivisset Constantinus.

81. *Quæritur 4tò. Quid dicendum ad Auctoritatem Luciferi Episcopi Calaritani*, acerrimi Defensoris, S. Athanasii, eiquè æqualis? qui in Libro suo de Regibus Apostaticis testatur, Constantium, Constantini Magni Filium, dixisse hæc: *Nisi Pater meus Constantinus benè fecisset, referre se ad Arianos, non ejus Filii regnaremus.*

Respondetur. Quod Constantius de Patre suo Arianismum professo affirmabat, dixit ut deceptus ab Episcopis Arianis: re ipsa enim Constantinus puritatem Fidei rectæ, integram servavit. Ut sufficienter constat ex Responsionibus ad Quæsitum 1mum, & 2dum, imò & ad 3tium Quæsitum.

82. *Responsio data illustratur* sat clarè ex

San-

Sancto Epiphanio Salaminæ Cypri Episcopo (floruit is Annô 370.) ille enim Lib: de Hæresibus, Hæresi 69. agens de motibus Arianorum, & eorum *ca*usa, sic haber. [Principum Constantius Rex, in aliis quidem mitis & bonus, velut Filius Magni & perfecti Constantini Pii, qui rectam Fidem integrè servavit; sed & ipse Constantius, pius fuit & bonus, juxta multos modos: verùm in hoc solùm, quòd non secundùm fidem Patris processit, deviavit, atquè deliquit; sed non ex sui causa, sed ab his, qui rationem reddituri sunt in die Judicii; qui in apparentia Episcopi dicuntur, veram autem fidem contemnunt, quibus danda est ratio & pro fide, & pro Ecclesiæ persecutionibus, & pro tot malis, ac cædibus in Ecclesiis, ipsorum causâ perpetratis, & pro tot millibus populorum, usquè ad hanc diem, tribulationem sub dio sustinentium, & pro ipso Constantio, ab ipsis decepto, & ignorante Orthodoxorum Fidem, & credente ipsis, velut Sacerdotibus, per ignorantiam, ut qui non noverit in ipsis errorem cæcitatis, ac malæ Fidei, ex Diaboli structura inductæ [Hucusqus S. Epiphanius.

 83 *Quæ-*

83. *Quæritur 5tò. Quidnam proximè ante Obitum suum agebat Constantinus?*

Respondetur. Verbîs Eusebii Lib: 4tô, in Vita Constantini. [Cùm Ejus extremus propè vitæ dies adesset, recitabat funebrem quandam Orationem, in qua etiam multa disputabat perpetua oratione de Animorum immortalitate, dequè his, qui vitam piè, sanctèquè egissent, & de præmiis, quæ bonis, & gratis, acceptisquè DEO hominibus, apud ipsum DEUM reposita essent: ad hæc etiam, quem finem habituri essent, qui contrariam partem sequerentur, copiosâ & longâ oratione demonstrabat, impiorum eversionem, & interitum præsentium auribus obiter inculcans. - Cùm verò Centuriones & Duces militares intromissi, casum suum deplorarent, quòd deinceps se orbatos fore, lugubri voce testarentur, longioremquè Ei vitam optarent: Etiam his respondit: se nunc veram vitam adeptum esse, sequè ipsum solum intelligere, cujus felicitatis particeps factus sit: ac propterea festinare, nec migrationem ad DEUM suum procrastinare; deinde quæ videbantur extremâ quasi voluntate suâ disponebat, ac Romanos, qui Regiam Civitatem incolebant, annuis

nuîs pensionibûs honorificè donabat; Liberis verò suis Regni Hæreditatem tanquàm Patrimonium relinquebat, cæteraquè omnia, quæ ei videbantur, expresſè, disertîsque verbîs describebat.] Vide etiam dicta supra in Quæstione V. num: 32.

84. *Quæritur 6tò. Ubinam, & quando obiit Magnus Constantinus?*

Respondetur. Obiit Annô Christi 337. in Villa proxima Nicomediæ, quam Achironam appellant, 22 Maji, die Pentecostes, sub meridiem, Annô ætatis suæ propè, 63. vel ut vult Eutropius, 66. Imperii verò sui, annô 32. relictîs tribûs Filiis, Constantinô, Constantiô, Constante; quorum primus, obiit Annô 340. Alter 350. Ultimus 361. Scribit Eutropius Librô 10. Prænuntiam Constantini obitûs apparuisse in Cælo crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis, diu refulsit.

85. *Quæritur 7mò. Quidnam gestum post obitum Constantini, cum Ejus exanimi Corpore?*

Respondetur. Verbîs Eusebii ex Librô supra citato. [Satellites & universus stipatorum cætus, dilaceratîs vestibûs, corporibûsq; ad pavimenta projectîs & collisîs ad solum capitibûs, lugubres voces cum magno

luctu,

luctu, & clamoribus edebat; cùm identidem Dominum, Principem, Imperatorem, & tamen non ut Dominum, & Tyrannum, pii Liberi & germani inclamabant. Centuriones verò manipulares, servatorem, Custodem, beneficum prædicârunt. Totus Exercitus cum omni reverentia, tanquam ovium greges Pastorem suum desiderarent; Populus item per omnem Urbem volitaret, occultum animi vulnus, apertis vociferationibûs & clamoribûs contestans; reliqui demissô vultu, tanquàm obstupefacti incederent, singuli. Eam sibi calamitatem præcipuè accidisse putarent, sequè ipsos quasi communi humanæ Vitæ salute orbatos, miserabiliter affligerent. Hìc Milites arreptum Cadaver, aureâ Casulâ includunt, & undiquè purpureâ Veste contectum, Constantinopolim perducunt. Ibi tum in omnium magnificentissimis Imperatoriis ædibus, celso, atquè edito locô deponunt; luminibûsquè circum funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant. Intus in ipso ferè medio Regii Palatii excelsâ, & aureâ capsulâ inclusum Imperatoris corpus, Imperiali apparatu, id est purpurâ & diademate ornatum, permulti

circum-

circumfusi vigiles, die noctuquè asservabant. Jam totius exercitûs Duces, & Comites, omniumquè Principum cœtus, quibus antea in more fuit, Imperatorem venerari, pristinum morem conservantes, statîs temporibûs introeuntes, Imperatorem in Capsula jacentem, tanquàm vivum, etiam post mortem humi procumbentes salutabant. Horum reverentiam, eôdem pietatis officiô subsecutus est Senatus, & omnes reliqui Magistratus: Tunc verò cujusquè ordinis hominum, etiam Muliercularum, & puerorũ infinita multitudo, ad idem spectaculum confluebat. Hæc per multos dies factitata, quòd exercitus consistere funus eô locô, & per se asservari constituerat, quò ad Ejus Filii reversi, efferendo Paterno per ipsos funere, Patrem suum honorâssent.]

86. *Quæritur 8vò. Quònam ex Palatio deinde exanime Corpus Constantini deductum?*

Respondetur. Verbis ejusdem Eusebii. [Deductum est, ad Salvatoris Nostri Apostolorum Ecclesiam summa cum magnificentia, ab ipso Constantio Imperatore, aderantquè ibi in Ecclesia DEI Sacerdotes circumfusi turbâ, ac universô pietatis studiosô populô,

à qui-

à quibus Divinus NB. per preces cultus adhibitus est. Hoc igitur locô, excelsô foliô jacens Beatus Princeps gloriosè prædicabatur. Jam populus frequens unà cum Sacerdotibus, non sine lacrymis, & sanè magnô cum gemitu, preces NB. pro Anima Imperatoris DEO fundebant, in quo & Illi gratum, atquè optatum, pio Principi, officium præstabant, & DEUS ipse singularem benevolentiam ergà famulum suum ostendit: quòd post mortem caris Ejus, ac germanis Filiis, Patris sui successoribus, Imperium donâsset, & quem votîs expetivit, locum, unà cum Apostolorum Memoria consecutus est. Nam adhuc quidem licet contemplari ter Beatæ Animæ tumulum, Apostolici Nominis appellatione decorari, & ad DEI populum aggregari, Divinisquè cæremoniis & NB. mysticô Sacrificiô, Sanctorumquè precationum, Societate perfrui.] Hæc Eusebi9.

87. *Quæritur 9nò. Quænam proxima Causa fuit obitûs Magni Constantini?*

Respondetur. Georgius Cedrenus, Historicus Græcus, (qui vivebat Annô Christi 1070.) In suo Historiarum Compendio, mihi, foliô 244. habet hæc. *Creditum fuit, Constantinum à suis Fratribus*, (Constantiò

& Anni-

& Anniballiano) *exhibitô lethalî venenô extinctum fuisse; ideoq; Eum sua manu scriptîs mandâsse Filio*, (nempè Constantio) *ut à Patrùis sibi caveret, in eosq; ulcisceretur: Eas literas, Eusebium Nicomediæ Episcopum, accepisse, & Constantio recens ex Oriente reverso tradidisse. Indeq; etiam Episcopatu Constantinopolitanô potitum. Visum autem fuit absurdum, Patruos istos simul universos velle occidere: ideoq; decretum est, rem cautè agendam.* Hucusquè Cedrenus. Artemius Martyr, Præfectus Augustalis, sic excusat Constantinum de imperata Fratrum nece. *Pater Tuus Constantius* (ita Julianum Apostatam alloquitur) *& Ejus Fratres priores, Ei fecerunt injuriam: ut qui Ei malum venenum miscuerunt, nullâ omnino ab Eo affecti injuriâ.*

88. *Nota.* Julianus hic, fuit Fillius Constantii Fratris Magni Constantini, qui Julianus, nec non & Frater ejus, cui nomen, Gallus, fuisset etiam interemptus à Constantio Filio Constantini; sed Julianum à nece, ætas tenera liberavit; quippè qui tunc Annos ferè quinquè suæ ætatis confecerat. Gallus verò tunc morbô gravî premebatur, undè quàm primùm morte naturali occasurus exspectabatur.

89. *Quæ-*

89. *Quæritur 10mò. Ubinam sepultus Magnus Constantinus?*

Respondetur. Constantius, piissimum defunctum Patrem suum, non est ausus sepelire intra ipsam Basilicam duodecem Sanctorum Apostolorum, quam Ipsemet Constantinus Magnificentissimè in sua Urbe Constantinopoli, exstruxerat; sed nonnisi Eum tumulavit in ipso Basilicæ illius Vestibulo. Unde Sanctus Chrysostomus Tomo 4tô. Homiliâ 26. in 2. Epist. ad Corinth: ait: *Hìc quoquè* (Constantinopoli nempè) *Constantinum Magnum Filius* (Constantius) *ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si Eum in Piscatoris vestibulo conderet; quodq; Imperatoribus sunt in Aulis, Janitores: hoc, in sepulchro Piscatoribus sunt, Imperatores; Atq; illi quidem velut Domini, interiores loci partes obtinent: hi autem velut accolæ & vicini, præclarè secum agi putârunt, si vestibuli janua ipsis assignetur.* Similia habet Homiliâ 66. ad populum Antiochenum.

90. In eadem Basilica Sanctorum Apostolorum, postea, & alii Imperatores, quin etiam Episcopi, sepeliri consueverant; ut testatur Sozomenus Lib; 1. Cap: ultimo inquiens. *Ab eo igitur, tanquam, ex ejus rei*

Aucto-

Auctore, consuetudine ducta, Imperatores Christiani ibi sepeliuntur, atq; Episcopi etiam: quippè cùm dignitas Sacerdotalis, Imperii dignitati par sit, imò verò in locis Sacris, primas partes obtineat.

91. *Quæritur* 11. *Quidnam cum Sacris Ossibus Constantini Magni factum est, postquàm Turcæ occupârunt Constantinopolim?* Antequàm respondeatur.

Præmitto. Machometes 2dus, Imperator Turcarum, postquàm Annô 1453. die 29 Maji (quæ dies illô Annô juxta Gerardum, approbante Cardinali Bellarminô Lib: 2dô de Christo. Cap. 20. inciderat in feriam 2dam Pentecostes; vel juxta Historicos Græcos, illius ævi sat celebres, Phranzes, & Ducas, item juxta Dionysium Petavium S. J. Tomô 2dô de Doctrina Temporum Lib: 11. Cap. 55. inciderat in feriam 3tiam post Dominicam SS. Trinitatis) Constantinopolim expugnavit; in Ea expugnatione, interfectô Constantinô XI. Græcorum ultimô Imperatore, Basilicam illam destruxit, monumentaquè Regalia omnia, cum ipsis quæ intus continebantur ossibus, dissipavit, eô consiliô, ut Imperium Græcorum penitus exstinctum crederetur, absquè ulla spe aliquando re-

surgen-

ſurgendi, Eô locô, ubi nec ſepulchra quidem priorum Imperatorum ampliùs eſſet invenire. Ut autem novum Imperium Turcarum, ibi à ſe conſtitutum demonſtraret; ex ipſa illius Baſilicæ aliarumquè vicinarum ædium ſacrarum materia, ſuæ ſuperſtitionis ornatiſſimum Fanum in proximo ſtruxit ſupra ciſternam, quæ Apoſtolicæ Baſilicæ aquam ſubminiſtrabat. Plantavit & hortum, murîs cinctum, in cujus medio, ſepulchrum ſibi magnificentiſſimum exſtruxit; ne quid minùs, aut diſpar faceret à Magno Conſtantino, quod perpetui Flamines, ibidem, noctu, diuquè obſervabant aſſidentes.

92. Omnium Ottomanorum Imperatorum, fuit hic Machometes 2dus, fortunatior; nam duo Imperia, Trapezuntinum, & Conſtantinopolitanum: Regna quatuor: Provincias Viginti, Urbes ducentas munitas, ſibi adjecit. Adverte, ab Erectione Conſtantinopolîs à Conſtantino I. Filio S. Helenæ, ad Ejuſdem Urbis à Turcis Poſſeſſionem ſub Conſtantino XI, etiam Filio Helenæ, fluxerunt Anni 1122. Hoc præmiſſô.

93. *Ad Quæſitum 10. reſpondet P. Papebrochius in Vita S. Conſtantini Magni.* Ignoramus, quid Oſſibus Sacris Conſtantini factum ſit

poſt

post occupatam Constantinopolim, nisi fortè in Calabriam sunt translata.

94. Pragæ in Bohemia in Metropolitana Ecclesia S. Viti, est aliquis Cultus S. Constantini Magni, propter insignem partem de minore Osse ejus Brachii: incertum, undè, & quomodò allatam. Ut refert Pezzina de Czechorod in Diario Ecclesiæ S. Viti.

95. *Quæritur 12. Quænam Constantini Magni fuit Effigies, & magnitudo Corporis?*

Respondetur. Verbis Nicephori Callisti, Lib. 8. Historiæ Eccles: Cap: 55. seu ultimô. *Fuit Constantinus, formæ decore nemini secundus, & cùm gratiosus maximè fuit, tum decentiæ ipsi Magnificentiam conjunxit: staturâ quoq; corporis spectabundus; nam neq; nimìs procerus est habitus, & exiguam brevitatem longè supergressus est; Humeris latis, sensim cervicem crassiorem prætulit; Colore corporis rubicundus, minùs densum, habuit capillum, Eumq; flavescentem: barba mediocriter tenuis, & rara, neq; admodùm demissa erat, ita, ut in pleraq; faciei parte succrescere non videretur: Oculi, quales virum decent, & placidi, ex quibus mirifica quædam eminebat gratia, acutioresq; illi, & grandiores: Nasus subaduncus, cui carnosum quiddam insidebat: facies ipsa*

latior, & Magnanima admodum. Hæc Nicephorus.

96. *Animæ verò magni Constantini facies qualis nam fuerat, si quæratur? Respondetur.* Sufficienter id constare Tum ex dictis supra, sub hac Quæstione XIII. in Responsione ad Quæsitum 1mum 2dum. num: 74. 75. 76. 77. Tum quia ipsi Scriptores Ethnici aliqui, de Eo propalârunt Orbi hæc: *Victor Historicus*, qui licèt Juliano Apostatæ fuit addictissimus, (utpotè à quo Consulari Præfecturâ secundæ Pannoniæ, condecoratus, & statuâ æneâ donatus fuit) tamen in Vita Constantini hæc habet. *Commodissimus rebus multis fuit Constantinus, calumnias sedare legibûs severissimîs, nutrire artes bonas, præcipuè studia literarum, legeré Ipse, scribere, meditari, audire Legationes, & querimonias Provinciarum consvevit.* Eutropius verò, Librô 10. scribit. *Constantinus artibus civilibus, & liberalibus studiis deditus erat, affectator Justitiæ & Amoris, quæ omnino sibi & Liberalitate, & Docilitate quæsivit. Innumeræ in Eo Animi, Corporisq; virtutes claruerunt.*

97. Porro Liberalibus studiis adeò fuit deditus, ut plurimas Orationes, latinâ linguâ Ipse conscripserit, à se elaboratas, nequè

id

id facere ad extremum usquè vitæ tempus prætermiserit; quin & sui quasi proximè futuri exitûs præscius, postremam omnium elaboraverat scriptionem. Ut testatur Eusebius in Ejus Vita. Sed hæc omnia pretiosa Imperatoris monumenta interiêre.

98. Una tantummodò nunc superest sat longa Ejus Oratio, scripta *Ad Sanctorum Cætum.* Cujus meminit Eusebius Lib: 4. Cap. 32. de Vita Constantini; atquè eadem imprimi solet post quatuor prædictos libros. Legi illam, verè est Erudita, & luculenta, de Christi Domini Adventu, Ejusquè Divinitate. Continentur etiam in Eadem Oratione Carmina Sibyllæ Erithrææ, quorum literæ Capitales, reddunt hanc Sententiam: *JESUS CHRISTUS, DEI Filius, Servator, Crux.*

99. *Quæritur 13tiò & Ultimò. Post Obitum Constantini Magni, qualiternam inter Ejus Filios divisum Imperium?*

Respondetur Ex Zonara Historico, Tomô 3tiô Annalium. Inter tres Illius Filios divisum est Imperium, vel ad ipso Constantino, ut quidam scribunt; vel Eô defunctô, ipsorum consensu, in hunc modum. *Constanti* tributa est Italia, & Roma ipsa, Afri-

ca, Sicilia cum reliquis Insulis, atquè etiam Illyricum, Macedonia, & cum Achaia, Peloponesus: *Constantino*, Alpes cum Galliis, & Tractus Pyrenæi, usquè ad Mauritaniam Oceani, angustô fretô diremptam ab Hispaniis; *Constantio* ea obvenerunt, quæ in Orientali parte, Romanæ Ditionis erant, & Thracia, cum Urbe Paterna, scilicet, Constantinopoli. Porrò *Constantinus Junior*, bellum postea intulit Constanti Fratri suo, à cujus militibus interemptus est; ut scribit S. Hieronymus, Orozius, & alii. Sublatô autem è medio, Constantinô Juniore, totum Occidentale Imperium devolutum est in Constantem Augustum. Regnavit *Constantinus Junior*, annîs ferrè 4. obiit annô 340. *Constans* verò laudatissimus Princeps, Imperii sui Annô 13. Annô verò Christi 351. interemptus est à Magnentio, Imperium sibi vendicante. *Constantius* regnavit annîs 24. obiit Annô Christi 361. *Constantio* successit *Flavius Claudius Julianus*, cognomentô Apostata, communis omnium bonorum inimicus, & hostis: iniquitatem is multam in Excelsum locutus est, & meditatus. Verùm in prælio contra Persas, Divinitùs lethali vulnere (quod toti Orbi

Chri-

Christiano salutare fuit) percussus est: simulquè ac plagam acceperat, manum protinus (ut scribit Theodoretus Lib: 3tiô Cap. 20.) sanguine implevit, illumquè projecit in àërem, dicendo; *Vicisti Galilæe*: Vel ut refert Nicephorus, Lib: 10. Cap. 34. *Saturare Nazaræne*: Imperavit annîs duobûs: Fuit in omnibus infensissimus Constantino piissimo Imperatori, ob derelictum DEOrum cultum, & Christianam Religionem susceptam: multîsquè calumniosîs dictîs, & scriptîs Eum insectatus est. Refert ex parte illas calumnias, Cardinalis Baronius, in suìs Eruditissimis Annalibus, ad Annum 357. & abundè refellit. Post Julianum Apostatam Cælitùs interemptum, Annô Christi 363. 4tò Kalendas Julias, nec unius quidem diei spatiô interregnum fuit. statim illucescente die, quinto Kalendas Julias, admirandâ DEI Providentiâ electus est in Imperatorem ab Exercitu *Jovianus*, seu *Jovinianus*. Sed ille, (ut testatur Theodoretus Lib: 4tô, Cap. 1mô) allocutus est Exercitum sic. *Non possum, cùm sim Christianus, Ejusmodi hominibus imperare, neq; regere Juliani Exercitum, qui tam pestiferæ Doctrinæ præceptîs imbùtus sit. Nam qui*

 sunt

sunt ita instituti, hi Divinâ destituti Providentiâ, Tum ab hostibus facilè expugnari, Tum Eisdem materiam ad lætitiam præbere solent. Quibûs verbîs auditîs milites conclamârunt uno ore; *Ne animus Tibi ò Imperator ullâ, æstuet dubitatione, neq; nostri Imperium, tanquam improbum devites: Nam & Christianis hominibus, & disciplinâ veræ pietatis educatis, Imperabis. Siquidem qui sunt inter nos ætate provectiore, hi, à Constantino eruditi erant: qui autem, adolescentiores, illi præceptîs Constantii instituebantur. Tempus certè Imperii Juliani, qui jam morte occubuit, ut perexiguum, ita non satìs ad erroris perniciem in Animis eorum qui eâdem infecti erant, altiùs insigendam, fuit.* Itaquè Jovinianus accepit habenas Imperii. *Joviano* succeſſit *Valentinianus I.* adscitôquè in Consortium Fratre *Valente*, Imperium dividit. *Valentinianus Imp* Imperavit in Occidente ad Annum Christi 375. *Valens* in Oriente ad Annum 378. &c.&c.

100. Divus Bernardus, non minùs gloriâ miraculorum, quàm Sapientiæ & Sanctitatis splendore fulgentiſſimus, Clarevallensis primus Abbas (obiit is Annô 1153. ætatis suæ 66.) Epistolam suam 174. concluserat sic:

sic: *Quæ autem dixi, absq; præjudicio sanè dicta sunt; saniùs sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ Auctoritati, atq; examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, Universa reservo; Ipsius, si quid aliter sapio, paratus judiciô emendare.* Iisdem verbîs concluseram Librum meum, Annô 1725. impressum, cui titulus: *Scrutinium unicæ Veritatis in Historia triplici.* Dissertationem itidem præsentem, de Constantino Magno, Piissimo & Victorissimo primo Christianorum Imperatore, prædictîs S Melliflui Doctoris Verbîs etiam concludo.

Ad M. D. G.

INDEX
Rerum Notabilium, quæ in hac Dissertatione continentur.

A.

no

Quid

Elogia

I.

L.

M.

Ma-

ERRA-

Typi Errata ſic Corrige.

Pag: 22. verſu 2 lege. parùm grata.
pag: 34. in ipſo fine, lege. Cæſarienſi.
pag: 36. verſ. 15. Sententia;
pag: 50. verſ. 8. leg. Canonizatas.
pag: 52. verſ. 2. leg. non neceſſitate Sacramenti ſed præcepti.

In Scrutinio verò Veritatis in 3plici Hiſtoria.

Pag: 51. verſ. 3. leg. 1654.
pag: 53. verſ. 11. leg. Innocentius XII.
pag: 89. verſ. 18. leg. 18vo.